BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
5 F
W 1
AA
VI
26
14-24-G.23

A A
I.
1

NICOLAI ABRAHAMI GVISIANI METHODICÆ INSTITVTIONES PHILOSOPHIÆ RATIONALIS, NATVRALIS, MORALIS.

EIVSDEM ABRAHAMI DE ARTIVM INSTITVENDARVM METHODO DIALOGVS,

Ad Academiam Pariſienſem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



PARISIIS,
Apud Gulielmum Linocerium, in monte Diui Hilarij, ad inſigne Vaſis aurei.

M. D. LXXXVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

PRIVILEGII SENTENTIA.

REgis priuilegio licitum eſt Nicolao Abrahamo Guiſiano, Doctori Medico, quem libuerit deligere Librarium, vel Typographum ad excudēdos omnes quos ſcripſit, atque ſcripturus eſt de Philoſophia, ac Medicina libros: grauiſſimiſque pœnis Regio diplomate declaratis ſancitum, ne quis in hoc Francorum Regno, vllum Abrahami opus citrà illius voluntatem, ante ſexēnium ab editione abſolutâ próximum imprimat, néve alibi impreſſum vendat. Datum Pariſiis, Regio cōſenſu ſubſignatum, D. Chanteclero ſupplicum libellorum magiſtro præſente, 3. Non. Septemb. 1586.

COMBAVD.

NICOLAI ABRAHAMI IN PHILOSOPHICAS INSTITVTIONES PRAEFATIO.

DEVS Opt. Max. ſic eſt appellatus, quod cuncta quæ naturę lege continentur, non modo mirabili artificio condiderit, ſed etiam ſingulari prouidentia perpetuò conſeruet atque tueatur, immortalibúſque beneficiis omnes mortales in perpetuum ſibi deuinciat. Hinc apud veteres qui magna fructuoſáque beneficia in homines contulerunt, Dij ſunt habiti. Itaque homo Diuinitatis conſors fieri nequaquã poteſt magis, quàm ſi toto animo & ſtudio omni ad benè de cõmuni hominum ſocietate merendũ incumbat. Vt autem terrenus quidã Deus habetur homo, qui ad Dei immortalis exemplar in publicum conſulit, ita qui abiecta Reipublicæ cura ſibi tantũ viuit, cum beluarũ vitæ haud abſimilem vitam degat, illis nihilo præſtãtior, hominis nequaquam dignatur nomine. Hæc olim cauſa generoſos homines ad inſtituẽdas artes humanæ ſocietati neceſſarias excitauit, hæc etiãnum præclara ingenia ad eas iã inuentas & inſtitutas magnificẽtius augẽdas exornãdáſq; cõtinenter accendit. Eadẽ quoque ab ineũte adoleſcẽtia ad Philoſophiam oĩum bonarum artium matrẽ illuſtrãdam ita meum inflãmauit animum, vt cętetis rebus poſthabitis, quo horũ veſtigiis inſiſterẽ, diu multúmq; elaborarim in omnibus eius partibus clariſſima methodo depingẽdis. Nam cũ Philoſophia vulgò triplex eſſe dicatur, vna Rationalis, altera Naturalis, tertia Moralis, nullã non partẽ tanta facilitate, & breuitate, quãta optari

vſquã poſſit deſcribere conatus ſum. Præcipuũ autẽ ſtudiũ noſtrũ in inſtituenda ſic Logica, vt ad authorũ oĩum diſputationes ac ſcripta rectè intelligẽda, explicãda, imitãda, & ad benè de qualibet quęſtione ſuo Marte differẽdũ ſcribendũque accõmodata ſit, enituit: quanuis nec in Phyſica cõpendiosè ſimul & perſpicuè ex Ariſtotelis dogmate tradenda, nec in Ethica ex animi facultatib⁹ delineanda, parũ operæ poſuerim. Quo verò vel tẽporis momẽto oculis perſpicerẽtur quæcunq; ſunt fusè in noſtris explicata inſtitutionib⁹, ſingulas cõtraxi in tabulas. Hæc autẽ opuſcula etſi iãdiu ſunt elucubrata, in lucem tamen citius nõ protuli, vt ea ſæpius relegendo, & cum doctis hoĩbus quãplurimis quibus vtor valdè familiariter communicãdo, emẽdatiora politioráq; redderẽ. Non erã verò neſcius cũ quæ de Philoſophia à me pręcepta ſunt, diuulgarem, fore, vt hic noſter labor in varias reprehenſiones incurreret. Nã quibuſdã oĩa recentiorũ ſcripta Philoſophica improbãtur, ꝙ Philoſophiã à veteribus cõſummatam fuiſſe nobis relictã arbitrẽtur. Quidã autẽ iuniorum ſcripta non reprehendũt, ſi modo ſint veterũ monumentis prorſus cõſentanea, ſed quæ ab illis diſſidẽt criminantur. Sunt etiã qui neotericos magis magíſq; ingenuas diſciplinas illuſtriores efficere fatẽtur, ſed ſenio cõfectos, nõ iuuenes id pręſtare poſſe opinantur. Poſtremo aliquos futuros ſuſpicor, qui dicãt maluiſſe me ad Medicæ profeſſionis praxin feſtinaſſe, quàm in Philoſophię ſtudio tam multã inſumpſiſſe operam: gen⁹ hoc ſcribendi etſi glorioſum ſit, quæſtuoſum tamẽ eſſe negẽt. Sed ego flagrãti benè de Repub. literaria merẽdi deſiderio ductus, multorúmq; ſęuerioreac æquiore iudicio pręditorũ virorũ hortatu ꝓuocatus, ob has quidem criminationes, mearum lucubrationũ emiſſionẽ ſupprimere nec potui, nec debui. Eos enim qui veteres perfectã nobis tradidiſſe Philoſophiã cauſantur, ſatis redarguit accurata hominũ noſtri tẽporis induſtria, qui liberales artes nõ modo permultis obſeruationibus additis locupletiores, ſed etiam clariori ordine vſi longè clariores, ornatioréſq; reddide-

runt. Quibus autem recentia ſcripta à veteri diſciplina nullo modo diſſentanea arrident, contraria improbātur, hi nihilo ſunt æquiores rerū æſtimatores. Quid enim? An non eſſet recentiorū authorū labor ſuperuacaneus, ſi nec quicquā nondū inuentum ſcriberēt, nec quæ iam inuēta ſunt clarius diſponerēt, nec res ſplēdidiori oratione ornarēt? Sed dicēt, nefas eſt à maiorum doctrina tot ſeculis cōfirmata deſciſcere. Quaſi verò Plato, Ariſtoteles, cæteríq; Philoſophi veteres à maioribus ſuis nunquā deſciuerint, nec recētiores Philoſophi qui & ingenij acumine & labore priſcis non cedunt, iſtud ius ſibi etiā arrogare non debeāt, cum certū ſit in ſeligēdis bonis, & reiiciēdis malis multo perfectiorē fieri Philoſophiā. At qui ſenes dūtaxat ſcriptores probāt, diligenter authoris opus, non ætatem aduertāt. Studioſi quippe iuuenes, cū maiori diligētia minorē ætatem cōpenſare poſſint, non eſt ꝙ cum ſenibus æquari nequeant, ſi ſint ingenio pares. In iis verò requiro prudentiā qui lucrū honori anteponūt, reiq; publicæ priuatā. Nec poſsūt obiicere medendi peritiā me cōſequutū maiorem eſſe, ſi Philoſophiæ ſtudiis tandiu nō immoratus, vnicā feciſſem Medicinam, cū nemo futurus ſit vnquam præſtās Medicus, qui prius non fuerit in Philoſophia ſatis ſuperq; verſatus. Quamobrē eiuſmodi omnes improbandorum hominū improbationes, nec olim me à Philoſophiæ ſtudiis, nec iam à noſtrarū inſtitutionū editione reuocarūt. Sed ad Medendi artem excolendā longè alacriori animo deinceps incumbam, ſi noſtras lucubrationes Philoſophicas methodicæ diſciplinæ ſtudioſis, quibus prodeſſe cupio, gratas fuiſſe percepero. Pariſiis è Collegio Laudunenſi, xv. Cal. Nouemb. 1586.



Sic rationem, naturam, mores, Abrahamus
Hic pictus, methodum pinxit ad eximiam,
Ut doceat nunc quam Sophus at poſt quam Medicus ſit,
Scripſit & factis atque ipſe ſuis.
Io. Langenius doctor Medicus Pariſ.

ΕΙΣ Ν. ΑΒΡΑΑΜΟΥ ΤΟΥ ΦΙΛΟΣΟΦΟΥ
καὶ ἰατροῦ ἐνδόξου εἰκόνα.

ΕἸκόνα θαυμάζεις ἀνδρὸς πινυτοῖο προσώπου.
Τοὔνομα Νικόλεως κλείεται Ἀβράαμος.
Ἄνθρωπος δὲ πέλει ψυχὴ, μᾶλλον νόος αὐτὸς,
Ἄξιος εἰς ἀρετὴν, καὶ θεὸν ὀψόμενος.
Ἐς νόον Ἀβραάμοιο τὸ σὸν καλὸν ὄμμα τανύσας,
Τάσδ᾽ ἀναγινώσκου θεσπεσίας σελίδας.
Αἱ τριμεροῦς σοφίης ἄκρον φαίνουσιν ἄωτον,
Ἀτραπὸν Ἀβράαμος θῆκεν ἑτοιμοτάτην.
Πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβὰς ἐστὶν ἀμείνων.
Ἀσύριος ποταμὸς συρφετὸν αἰὲν ἐλᾷ.
N. Γυλώνιος.

In N. Abrahami effigiem.

QVÆ docuere Sophi veteres Cous atque Galenus:
Qua Plato diuinus, magnus Ariſtoteles:
Cuncta Abrahamus habet iuuenis, grandæuus acumen
Si ſpectes, finem quod nec habebit opus.
Nulla dies abiit quin linea ducta ſit, hora
Eſt data nulla iocis, ſeria cuncta colens.
Ergo agito, lector, iuueniſque ſenéxque videri
Poßis, ſi monſtret dux Abrahamus iter.
Non etenim ſapiens annis, ſed re benè geſta
Creditur, vt facilè hic ipſe videre potes.
H. Blacuodæus, Doctor Medicus Pariſienſis.

Ad Pictorem.

HIC iuuenem (Pictor) cur pingis nunc Abrahamum,
Scripta ſenem doceant cùm ſatis eſſe ſua?
P. Quid? præſtans opus, eſt mentis non corporis index.
Corpus, non mentem pingo, nec ingenium.
S. Foquetius.

ANAGRAMMATISMVS.

Nicolaus Abrahamius.

HIC VNA MORBI SALVS.

EST tua corporibus ſimul ars, Abrahame, ſalubris,
Atque animis medica, quã profiteris, ope.
Námque doces via quæ rationis, quæ via morum:
Alterum vt alterius fiat amica ſalus.
Corporis à morbis nam ſi mens ægra laboret:
Non niſi mens ſano corpore ſana valet.
Atque ideo duplicem tu dignus habere coronam,
Corporis atque animi morbida quæque leuans.

I. AVRATVS POETA
& interpres Regius.

NICOLAI

ABRAHAMI GVISIANI LOGICA INSTITVTIO, IN QVA RATIO RECTE QVICQVID PROPOnitur cognoſcendi, & docendi methodo perfacili explicatur.

ADIECTA EST EIVSDEM LOGICAE INSTITVTIONIS
ΑΙΤΙΟΛΟΓΙΑ.



PARISIIS,
Apud Gulielmum Linocerium, in monte Diui Hilarij, ad inſigne Vaſis aurei.
M. D. LXXXVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, LVDOVICO LOTHARINGO, AMPLISſimo Cardinali Guïſiano, Archiepiſcopo ac Duci Rhemenſi, primo Franciæ Pari, natóque ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Legato,

NICOLAVS ABRAHAMVS GVISIANVS S.

CVM ſæpe mecum Logicæ vim conſidero, (Cardinalis ampliſſime) præclare Socrates apud Platonem dixiſſe mihi videtur, illam eſſe ignem cœleſtẽ, à Diis immortalibus per Prometheum ad homines delatum. Quemadmodum enim ignis æthereus inferiora corpora ad ſuas obeundas functiones, ita ars Logica (cuius principia Prometheus primus tradidiſſe fertur) animos noſtros ad inquiſitionem, inueſtigationémque rerum, vehementi ardore inflammat & excitat. Nec aliter atque Sol mundum, Logica mentem partibus omnibus illuminat, ad artium rerúmque omnium naturam ac veritatẽ dilucidè perſpiciendum. Nam qui ad Philoſophiam, Medicinam, Iuriſprudentiam, Theologiam, omnéſque bonas artes ac diſciplinas intelligendas explicandáſque ſe conferũt, Logici luminis inſtructi præſidio perſpicuè quid ab authoribus quos ſibi adiũgunt, ad differendum ſit propoſitum cernunt, ſimpléxne id, an coniunctum ſit apertè vident, quæ ſubiecto themati attribuuntur rectè adnotant,

pronunciatorum genera facile diſtingunt, argumenta quæ ad confirmandas quæſtiones controuerſas adhibentur accuratè explorant, argumentorum conſequentias diligenter expendunt, vniuerſúmque ordinem ſtudioſè animaduertunt. Qui verò abſque Logicæ organo ad has artes accedunt, in perpetuæ obſcuritatis latebram præcipites ſe deuoluunt, & quaſi luce mẽti erepta dẽſã noctẽ & tenebras ob oculos offũdũt. Neque enim res propoſitas intueri, neque percipere quę de re ſubiecta prędicãtur, neq; quid quaque in re verũ ſit exquirere, & diſcernere neq; falſa diiudicare poſſũt. Sed ſingulari illo ſplẽdore deſtituti, cæco quodã & temerario nixu ſurſũ deorſum trahuntur: diſſolutam & ſine neruis ac vinculis huc & illuc fluctuantem rerum confuſionem animo conſequuti, cunctis in rebus quaſi modo naſcentes obhæſitant, nihil ratũ, nihil comprehenſum, nihil fixum habentes, ſæpiúſque in errorum deuia incidunt, & falſum pro vero, indecorũ pro decoro, deforme pro pulchro amplectũtur. Quocirca Logicã lucẽ qui habuerit perſpicuè quaſlibet artes cognoſcere, tradere, interpretaríque poterit. Qui verò ea caruerit nihilo plus in ipſis viſurus eſt, quã in ſpelunca Polyphemus ab Vliſſe obcæcatus. Ideóque Logica & diſcipulis ad bene diſcendum, & doctoribus ad bene docendum non modò vtilis, ſed & apprimè neceſſaria eſt, perpetuóque ante oculos ceu fax in tenebris eſt illis habenda, qui conſtituendis, illuſtrandiſque artibus nauant operam. Profectò ne ille quidem mercium pater Oceanus tantum opum, tantum diuitiarum orbi conuehit vniuerſo, quantum artium vna Cyclopedia Dialectica. Etenim quotquot artes (vt veriſſimè Socrates ait) ad humanæ vitæ vſũ inuentas & illuſtratas habemus

Logico lumine inuentæ ac illuſtratæ ſunt. Logica in omniũ artium familias ſeſe inſerens, ſingularum œconomiã ac ſtatum diſponit, earum fines regit, ſuum cuique tribuit, ſingulas certis præceptis ac legibus coërcet ac circunſcribit, ſua ſingulis officia diſpertit, definit, diuidit, quæque illis ſubiecta ſunt omnia deſcribit, quæ latent quæque obſcura ſunt explanat & enucleat, omnia loco atque ordine collocat. Denique totam artium ſupellectilem, ceu prudens mater-familias, elegantiorem ac nitidiorem reddit. Ego verò (Princeps illuſtriſſime) hos Logicæ mirificos effectus percepi, cùm ad eius ſtudiũ toto animo diu multúmque incubuiſſem. Nã ab ineunte adoleſcentia ad Dialecticam ſimulátque me contuliſſem, ita meum ad ſui amorem rapuit animum, vt magis magiſque in dies ardentiori eius cognoſcendæ veritatis deſiderio tenerem, quóque clarior ex hac meditatione intelligentia mihi affulgeret, eò vehementius ad ſui contemplationẽ impelleret. Sicque amœniſſima voluptate animum captum irretiuit, vt ab ea expedire ſe non poſſet. Tandémque vbi omnibus rebus poſthabitis totum me in vero Logicæ vſu exquirendo collocaſſem, deprehendi illius vim eſſe tantam, vt ad artes réſque omnes inueſtigandas & diſponendas, inuentáſque & conſtitutas intelligendas & explicandas, referatur. multóque tum impenſius tanta vtilitate perſpecta excitatus, à diuinæ illius artis ſtudio vix abſtrahi aut auocari poſſem. Multum autem temporis & operæ ad libros de Dialectica arte à clariſſimis Dialecticis ſcriptos ſumma cum diligentia peruoluendos, maximéque ad P. Rami Dialecticam meditandã, & cũ cæteris Dialecticis cõparãdam, & in authoribus intelligendis & reſoluendis exercendam adhibui.

Etenim nullam Dialecticam rationi humanæ magis conſentaneam, nullam ad intelligendas & retexendas diſputationes omnes magis accommodatam, nullámque ita compendioſam & perpolitam inueni. Eſt quippe omnis generis hominum bene diſſerentium vſu obſeruata & exhauſta, exempliſque magnorum & excellentium virorum illuſtrata, accuratiſſima omnium methodo cõformata, multis nugis & tricis quibus vulgares Dialecticæ refertæ ſunt repurgata, & à litigioſa quæ in altercatione duntaxat poſita eſt, & in contentionis ridiculæ & pertinacis oſtentatione (à qua ipſe tantùm ſemper auerſus ſum, quia denſis ſophiſmatum tenebris mentis lucem obruit & obſcurat, quantum veræ Dialecticæ quæ rationis vim accendit, ſtudioſus) longiſſimè remota, atque ſingulari induſtria poſt cæteras omnes Dialecticas obſeruandis legibus de materia formáque artis ab Ariſtotele traditis, diu elaborata. Licet autem vtcumque fuerit P. Ramus in Dialectica deſcribẽda cum ſumma laude verſatus: tamen neſcio quomodo non illa mihi ſatiſfecit. Multa enim in ea diligenter perpẽdẽda animaduerti ad naturalis rationis vſum vtiliſſima, eſſe pretermiſſa, multa ſtudio fortaßis omnia nouandi immutata, quæ non viderẽtur eſſe immutanda, multáque ab Ariſtotelica & ſcholaſtica doctrina nimium remota. Itaque vt ex meis ſtudiis logicis fructus aliquis in communẽ vſum afferretur, omnes ætatis induſtriæque meæ neruos contendi ad Dialecticam P. Rami ab omnibus doctis alioqui probatam, clariorem, facilitate accuratiorem, ſcholiſque accommodatiorem efficiendam, nõnullis ex Ariſtotele & Ariſtoteleis & ex meo ſenſu, quę ad rationis vſum apta, neceſſariáque viderẽtur additis: nõnullis

quæ mihi aut quia obſcura, aut à communi conſuetudine aliena, aut alia de cauſa minus probarentur reiectis, vel modo & ratione euidentiore traditis, omnibusque ad cognoſcendi & docendi vſum (ad quem totam Logicam quam inſtitui illuſtrandam refero) magis aptatis. Cauſas autem cur aut P. Rami veſtigiis inſtiterim, aut à Ramo ad Peripateticos receſſerim, in ἀπολογίᾳ explicaui. Noſtrum autem logicum opus ante annos quinque à me elaboratum, multorum ingenio atque doctrina præſtantiũ hominũ conſilio in lucẽ breui emiſſurus, id tibi (Cardinalis ampliſsime) tanquam Deo tutelari dedicandum eſſe duxi, quod quemadmodum illuſtriſsimus Cardinalis Lotharingius auunculus tuus, Dialecticæ P. Rami patrocinium liberaliter olim ſuſcepit, illámque ab innumeris maleuolorum contumeliis vindicauit, & ſartum tectúmque (vt aiunt) ab omni detrimento periculóque conſeruauit, ſic te, qui eadẽ ſoles qua ille beneuolẽtia de literis bene meritos proſequi, Logicã inſtitutionem noſtram æquo animo accepturum, & aduerſus ſycophantarum calumnias defenſurum eſſe ſperarem. Idque eò lubentius te facturum eſſe cõfidi quod hanc Dialecticæ τεχνολογίαν in perpetuæ obſeruãtiæ teſtificationem Guiſiano Cardinali, & Principi Guiſianus, Rhemẽſiq́ue Archiepiſcopo ac Duci Rhemẽſis Medicus nuncupet. Quamobrem (Cardinalis generoſiſsime) has lucubrationes noſtras ſi tibi placuiſſe percepero, animũ ad maiora ſtudia aggrediẽda, & tuo clariſſimo nomini aliquando conſecranda alacriorem dabis Abrahamo amplitudinis tuæ ſtudioſiſſimo, & obſequentiſſimo. Vale, Cardinalis ac Princeps illuſtriſſime. Lutetiæ Pariſiorum, è Collegio Laudunenſi Idib. Aug. 1586.

AD NICOLAVM ABRAHAMVM VERE AVREVM P. RAMI FRVCTVM.

QVAM falſo inſcia plebs, inops cerebri,
Aureum miſerè, miſella, Ramum
Mentita eſt Stygio putrere ſomno!
At Iunonis erat latens agello
Ramus, viuificis vigénſque ſulcis,
Fuluos parturiit virente Ramo
Fructus, qui cupidi patens coloni
Horreum obrueret premente mole.
En Iunoniaco latens agello
Ramus, viuificos iubens valere
Sulcos, ætherea potitus aura,
Inaurans Cereri ſuæ capillos,
Fuluis fructibus hinc & inde vaſtum
Obruit cupidi horreum coloni.
QuoPhœbo duce, Sole quo iuuante,
E fului gremio virente Rami
Fuluus hinc oriens & inde fructus,
Fructus fuluicomi propago Rami,
Obruit cupidi horreum coloni?
Te Phœbo duce, Sole te iuuante
Abraham, Iſacidum parens ſophorum,
Abraham, Logicæ parens cateruæ,
Abraham Logicūn parens nepotum.

Hic

Hic Ramus radiis tuis croceſcens,
Maturúſque tui tepôre Solis,
Fuluis fructibus hinc & inde vaſtum
Obruit cupidi horreum coloni.
Sic Aiax validum præit parentem,
Vicit Pelea ſic potens Achilles:
Sic lux poſterior magiſtra lucis
Prioris tibi dat (beata fului
O Rami ſoboles) virente Rami
E Ramo croceum eruiſſe fructum,
Qui rumpat cupidi horreum coloni.
At ne plebs neget hunc, egena mentis,
Fructum fuluicomi vigente Rami
Satum ſemine, melleum labellis
Hunc fructum admoueat, ferátque ſuccum
Succis Heſperij ſati haud ſecundum:
Tum ſi fuluicomi ſuâue Rami
Mel oblitus hic eſt ſapore fructus,
Iam, non neſcia plebs, inópsve mentis,
Non falſò aureolum putato Ramum
Letheo miſerè putrere ſomno.

IANVS EDOARDVS
DV MONIN PP.

DE PRÆCLARA NICOLAI ABRAHAMI DOCTORIS, Medici Logica.

Semper an hæc magnum tibi ſera premetur in annum
Editio, Phœbi lampade clara tui?
Tam nitidus nitida gemat orbus luce libellus,
Qui reliquis lucem luce det hacce libris?
Frange moras, ſtimulos tibi, quanuis lumine caſſus
Admouet, ætherei Ramus ab arce poli.
Cum tot enim ipſius Dialectica fouerit olim,
Queis primas primos inter Apollo dedit:
An tua cunctetur vitali luce potiri?
Quam Ramus fœtum peruelit eſſe ſuum.
Auſpice tu tanto, quo vix præſtantior alter,
Ne dubites illo hac lucidiora dare.
Qua poterunt omnes rerum penetralia noſſe,
Ne Logicam condas nunc, Abrahame, tuam.
Qua Sophiam luſtraſti pridem, qua Medicinam
Iam luſtras, pateat clara Promethea lux.

I. TRIQVENÆVS Collegij Laudunenſis apud Pariſios Primarius.

NICOLAI ABRAHAMI LOGICA INSTITVTIO.

LOGICA eſt facultas bene cognoſcendi & docẽdi. Quod ad cognoſcendum & docendum proponitur thema & quæſtio vocatur. Thema ſimplex eſt aut compoſitum. Thema ſimplex eſt cum res vnica & ſubiecta proponitur, ſiue communis ſit vt anima, virtus, ſiue propria, vt Plato, Roma. Plura autem de re ſubiecta quęri poſſunt, vt vnde oritur virtus? Quid efficit virtus? Circa quid verſatur virtus? Quid virtuti adiungitur? Quid virtuti opponitur? Quid comparatur virtuti? Quid eſt virtus? Quotuplex eſt virtus? Sic, Quis Romam condidit? Quos Roma homines procreauit? In qua regione ſita eſt Roma? Quando ædificari cœpta eſt? Quanta eſt? &c. Thema compoſitum eſt cum rerum duarũ inter ſe coniunctio in dubitationem adducta proponitur, ſiue communis ſit, vt An anima ſit immortalis. An voluptas ſit ſummum bonum: ſiue propria, vt, An Milo iure Clodium occiderit. An Pompeius bello Aſiatico ſit præficiendus. Itaque in quæſtione

coniuncta duæ ſunt partes, vna antecedens, altera conſequens.

Quod autem ad cognoſcendum explicandúmque thema adhibetur, ratio & notio appellatur. Idque duplex eſt, attributum aut argumentum. Attributum eſt notio quæ adhibetur ad rem ſubiectam cognoſcendam & declarandam. Quicquid enim de re ſubiecta quæri poteſt aliquo explicatur attributo. Grecè κατηγόρημα. id eſt prædicatum appellatur, quia cum de ſubiecto quæritur, ſemper attributum de ſubiecto prædicatur.

Argumentum eſt ratio quæ adhibetur ad propoſitionis dubiæ veritatem cognoſcendam & demonſtrandam. Græcè πίστις, id eſt fides dicitur, quia rei dubiæ fidem facit. Probatio etiam & confirmatio nominatur, quia quod dubium eſt probat & confirmat Ab Ariſtotele verò μέσον, id eſt medium frequenter appellatur.

Logicæ partes duæ ſunt, inuentio & diſpoſitio. Inueniendæ enim primum propoſitæ quæſtionis notiones ſunt, deinde cum quæſtione ſunt diſponēdæ, ad bene iudicandum.

DE INVENTIONE.

INuentio eſt pars Logicæ quæ locos è quibus attributa & argumenta promuntur explicat. Ideóque τοπικὴ, id eſt localis à Græcis nominata eſt. Loci alij primi ſunt, alij ex primis orti. Primi ſimplicéſque loci ſunt cauſæ & effecta, ſubiecta & adiuncta, oppoſita, comparata.

DE CAVSIS.

CAuſa eſt cuius vi res fit. Cauſarum genera ſunt quatuor, efficiens, materia, forma, finis.

Efficiens eſt cauſa à qua res fit. Ab Ariſt. cap.3.lib. 1. Metaph. definitur ἀρχὴ κινήσεως, principium motus. Diuiditur autem tribus modis.

1. Efficiens eſt procreans aut conſeruans. Procreans quæ primò rem efficit. Sic patres & matres liberorum ſuorum, & opifices operum ſuorum cauſæ ſunt. Itaque hoc loco vnde res ſubiecta quælibet oriatur cognoſcitur & docetur. Cicero in Paradoxis à procreãtibus cauſis rectè facta & peccata probat eſſe æqualia. Quoniam (ait) pares virtutes ſunt, rectè etiam facta, quoniam à virtutibus proficiſcũtur paria eſſe debent. Itémque peccata quoniam ex vitiis manant, ſint æqualia neceſſe eſt. Hinc peccatum malum eſſe cognoſcimus, quoniam diabolus malus ipſius author eſt. Hinc magiſtratus eſſe colẽdos colligitur, quia Deus magiſtratus inſtituit. Remota verò procreante cauſa, remouetur & effectus, vt, Non genuit Traianus, Ergo nec Traiano filius fuit.

Efficiens conſeruans eſt quæ rem tuetur, vt, Leges ſunt cauſæ Rerumpub. Ouidius lib.1. de Ponto.

Otia corpus alunt, animus quoque paſcitur illis,
Immodicus contrà carpit vtrumque labor.

Ex hoc cauſarum loco omnis eſt Philoſophorum

diſputatio, de conſeruando bene moratæ ciuitatis ſtatu. Hinc nobilis pars Medicinæ de ſanitate tuenda. De re etiam qualibet ſubiecta quæri & prædicari poteſt quod illam conſeruet. Probatio autem ab hoc loco ſumitur cum ſublata conſeruante cauſa, effectus tollitur, vt, Non eſt qui hanc domum tueatur & regat, Ergo non tuetur, nec regitur. Plerumque eadem cauſa procreatrix & conſeruatrix eiuſdē rei eſt. Sic Deus eſt omnium rerum cauſa procreans ac conſeruans. Prima enim cauſa exiſtens, omnes ſecundas cauſas mouet ac tuetur. Sicut dictum eſt à D. Paulo, In ipſo ſumus, viuimus & mouemur. Et frequenter accidit vt ab iiſdem cauſis res efficiatur & conſeruetur: vt à parentibus liberi, à magiſtratibus ciuitates. Ariſtoteles in Ethicis virtutem moralem à mediocribus actionibus oriri & conſeruari affirmat. Sic Cicero in Lælio virtutem conciliare amicitias atque conſeruare aſſerit.

Cauſę autem procreanti cauſa abolens, & conſeruanti labefactans è regione opponitur. Abolēs cauſa eſt quæ rem omnino exterminat, vt Mors animalis vitam extinguit. Labefactās quæ rem labefactat, vt morbus labefactat vitam animalis.

2. Cauſa efficiens eſt ſola, aut cum aliis. Sola quæ ſine alia cauſa rem efficit, vt Ignis calorem. Sic Orpheus Poëta antiquiſſimus Deum eſſe ſolum authorem omnium rerum affirmat:

Perfectus Deus eſt qui perficit omnia ſolus,
Ipſe eadem luſtrans oculis, nec cernere cuiquam

Hunc hominum liceat, tamen idem cuncta tuetur
Conſpectus nulli.

Hac cauſa poſita ponitur proprius eius effectus, vt, Sol ortus eſt, Ergo dies eſt. Dies enim proprius eſt Solis effectus. Infirma autẽ probatio erit ſi effectus proprius non ſit, Nec enim neceſſariò ſequitur ſi quis caleat, ab igne calere, poteſt enim calor & ab alia cauſa oriri, veluti à Sole, aut à motu. Item per accidens à frigido.

Efficientium autem cum aliis, aliæ ſunt principes, aliæ miniſtræ & adiuuantes, aliæ inſtrumenta. Vt in re militari, imperator eſt princeps cauſa, milites ſunt cauſæ miniſtræ & adiuuantes, tormenta bellica, clypei, gladij & quælibet arma ſunt inſtrumenta. Ab hoc loco Peripatetici probant, vitæ cõmoda in bonis eſſe numeranda, quòd animi bona fortunis adiuuari putent.

3. Cauſa efficiẽs per ſe efficit aut peraccidẽs. Per ſe, quæ ſua facultate efficit. Qualia ſunt quæ natura vel cõſilio faciũt. Natura autẽ res omnes Phyſicę oriũtur, intereunt, augẽtur, minuntur, alterãtur, loco mouentur. Conſilio autem ac voluntate agunt qui liberum habent arbitrium agendi aut non agẽdi, vt homines. Vnde iudices graue ſupplicium ſumunt de iis qui voluntariè & conſultò deliquerunt. Cauſa per accidens quæ externa facultate efficit, vt cum præter efficientis ſcopum aliquid accidit. Sic caſu fortuito (ait Cicero 3. de nat. Deor.) Phæreo Iaſoni profuit hoſtis qui gladio vomicam eius aperuit,

quam ſanare medici non poterant.

Materia eſt cauſa ex qua res fit. Sic materiam dicimus rerũ Phyſicarum, vt hominis, corpus humanum & artificioſarum, vt domus lapides, arenam, cæmenta. Et rerum etiam incorporearum. Ideóque Ariſtoteles 10. 7. & 6. 8. Phil. duplicem materiam, aliam quidem ſenſibilem, aliam intelligibilem eſſe dixit. Sic igitur ſubiectum quodlibet ſua materia declaratur & explicatur. Hoc loco Ariſtoteles probat cælum eſſe incorruptibile, quia materiam non habet agentibus & patientibus inuicem primis qualitatibus ſubiectam. Sic etiam ex conſiderata materię conditione id quod ex ea factum eſt, tale eſſe vel tale arguitur, Vt patera ex argento fit, Ergo exquiſita. Domus eſt lapidea, non igitur facilè inflãmari poteſt. Sic etiam argumentamur à materia, ferrum non eſt, igitur Gladius non eſt. Angeli non habent corpora, Ergo non ſunt ex elementis conditi. Quia non poſita materia, nec effectus ponitur.

Forma eſt cauſa per quam res eſt id quod eſt & à cęteris rebus diſtinguitur. Sic forma hominis eſt anima rationalis: hęc enim cauſa eſt, cur homo ſit homo & à cęteris rebus differat. Sic rebus naturalibus omnibus ſua forma eſt, vt leoni, equo, arbori, cœlo, terrę: Sic artificioſis rebus, vt domui, naui: Sic etiam incorporeis, vt colori, calori, virtuti, vitio, ſua forma eſt. Atque ita rei ſubiectę eſſentia ex forma cognoſcitur & demonſtratur. Sola è cauſis forma ſuo effectui eſt congenita. vt ſcribit Ariſtoteles

teles

teles 12.c.2.poſt.Itaque ſi forma ſit formatum quoque eſt,& contra.Vt Animam habet,Igitur eſt animal. Anima exceſſit è corpore, Ergo corpus illud iam non eſt homo.

Finis eſt cauſa cuius gratia res fit. Itaque ad finem cauſæ reliquæ referuntur. Cicero 2. de natur. Deor. Omnia aliorum cauſa ſunt generata, vt fruges atque fructus quos terra gignit animantium cauſa,animantes autem hominum,vt equus vehendi cauſa, arandi bos, venandi & cuſtodiendi canis. Ipſe autem homo ortus eſt ad mundum contemplandum & imitandum. Et 2. de Finib. Homo ad duas res, intelligendum & agendum natus eſt. Sic omnium artium aliquis eſt finis extremus,vt Grammaticæ bene loqui. Rhetoricæ bene dicere. Logicæ bene cognoſcere & docere rem propoſitam. Sic ſubiectum quodlibet fine declaratur cum prædicatur quam ob rem fiat.Thema compoſitum ſic probatur ab hoc loco.Sanitas bona eſt, Ergo Medicina bona eſt,Et beatum eſſe bonum eſt,Ergo iuſtitia eſt bona. Cuius enim finis bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt.

DE EFFECTIS.

Effectum eſt quicquid è cauſis exiſtit. Sic Cicero pro Archia Poëta ſtudia literarum deſcribit ex effectis:hæc ſtudia adoleſcentiam agũt, ſenectutem oblectant,ſecundas res ornant, aduerſis profugium ac ſolatium præbent, delectãt domi, non impediunt foris,pernoctant nobiſcum,peregrinantur,

ruſticantur. Argumenta laudis & vituperationis magna ex parte ducuntur ex effectis. Huc dicta, ſcriptáque referenda ſunt. Nam dicta ſunt eorum à quibus dicuntur, & ſcripta eorum à quibus ſcribuntur, facta quædam. Atque hoc modo quæſtio ſimplex ab effectis explicatur. Quæſtionis autem compoſitæ hinc firma probatio ducitur, cũ poſito proprio effectu, ponitur & propria cauſa. Vt dies eſt, Ergo ſol ortus eſt. Gladius eſt, igitur ferrum eſt. Corpus viuit, Ergo anima ineſt. Sic Virgilius diſſuadet immodicum vini & veneris vſum ab effectis vtriuſque inter ſe collatis:

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Vno namque modo vina Venúſque nocent.
Vt Venus eneruat vires, ſic copia Bacchi
Et tentat greſſus, debilitátque pedes.
Multos cæcus amor cogit ſecreta fateri,
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum ſæpe petit ferus exitiale cupido.
Sæpe manus itidem Bacchus ad arma vocat,
Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello
Et Lapithas bello perdis Iacche graui.

DE SVBIECTIS.

SVbiectum eſt cui aliquid præter ſuas cauſas adiungitur. Eius tres ſunt modi, primus cum ſubiectum rem adiunctam in ſe recipit. Sic anima eſt ſubiectum ſcientiæ, ignorantiæ, virtutis, vitij.

Corpus magnitudinis, paruitatis, ſanitatis, morbi,

roboris, infirmitatis, pulchritudinis, deformitatis, quia hęc in corpore, illa autem in anima præter eſſentiam inſunt. Sic locus eſt ſubiectum rerum in eo ſitarum, quia res ipſas in ſe capit & continet. Et ita terra hominum, mare piſcium, aër auium ſolum id eſt ſubiectum ab Ouidio dicitur Faſt.1.

Omne ſolùm forti patria eſt, vt piſcibus æquor,
Et volucri vacuo quicquid in orbe patet.

Virgilius in Bucolicis Eclo. 7. propria arborũ quarundam ſubiecta deſignat,

Fraxinus in ſyluis pulcherrima, Pinus in hortis
Populus in fluuiis, Abies in montibus altis.

Secundus modus eſt cum ſubiectum rem adiunctam extra ſe continet: Sic homo ſubiectum eſt diuitiarum, paupertatis, honoris, infamiæ, veſtitus, comitàtus, quia hæc homini extrinſecus accedunt.

Tertius modus eſt cum ſubiectum rem adiunctam tantùm occupat, & propriè obiectum vocatur. Sic ſenſilia ſenſuum ſubiecta ſunt: vt color viſus, ſonus auditus, quiā hi ſenſus in his ſenſibilibus occupantur & exercentur. Hoc modo res circa quas virtutes ac vitia verſantur, virtutum & vitiorum ſubiecta ſunt. Virtutum & vitiorum ſubiecta ab Ariſtotele tractantur in Ethicis, vt fortitudo in periculis, temperantia in voluptatibus, liberalitas in pecũniis, magnitudo animi in honoribus, mãſuetudo in ira, veritas in dictis & factis, iuſtitia in iure cuíque tribuendo verſetur: in iiſdémque con-

traria vitia, ſed infra aut ſupra modum occupentur. Atque ita ex ſubiecto cognoſcimus in quo aut circa quod quæſtio ſimplex conſiſtit. Conſtans etiam quæſtionis dubiæ probatio hinc ſumitur, cum ſublatis ſubiectis, adiuncta remouentur. Sic Academicus Cotta 3. de nat. Deor. concludit in Deo virtutes nullas eſſe, humanas nempe, cùm ſint diuinæ multò præſtantiores. Sed ſic ait: Qualem autem dicunt Deum intelligere non poſſumus, nulla virtute præditum. Quid enim? Prudentiámne Deo tribuemus, quæ conſtat ex ſciētia rerum bonarum & malarum, & nec bonarum, nec malarum? Cui mali nihil eſt, nec eſſe poteſt, quid huic opus eſt delectu bonorum & malorum? Quid autem ratione? quid intelligētia? quibus vtimur ad eam rem, vt apertis obſcura aſſequamur, at obſcurū Deo nihil poteſt eſſe. Nam iuſtitia quæ ſuum cuique diſtribuit, quid pertinet ad Deos? hominum enim ſocietas & communitas, vt vos dicitis, iuſtitiam procreauit. Temperātia autem conſtat ex prætermittendis voluptatibus corporis: cui ſi locus in cœlo eſt, eſt etiam voluptatibus. Nam fortis Deus intelligi quî poteſt? in dolore an in labore? an in periculo? quorum Deum nihil attingit. Nec ratione igitur vtētem, nec virtute vlla præditum Deum, quî intelligere poſſumus? Sic ex nobiliori aut ignobiliori ſubiecto rem quamlibet alia præſtantiorem aut deteriorem colligimus.

DE ADIVNCTIS.

ADiunctum eſt quod ſubiecto præter eſſentiam adiungitur, ſiue in ipſo ſubiecto inſit, ſiue ipſum circũſtet, ſiue tantum circa hoc occupetur. Sic animi, corporis, totiúſque hominis bona & mala quę dicuntur, adiuncta ſunt animi, corporis, hominis. Sic quantitates corporis adiuncta ſunt, quia magnitudo, paruitas, omninóque quantitas eſt in corpore. Sic qualitates ſubiectis præter cauſas inhærentes ſiue propriæ ſint, quæ ſoli ſubiecto conueniunt, vt homini riſus, equo hinnitus, cani latratus: ſiue cõmunes quæcunque non ſunt eo modo propriæ, adiuncta ſunt. Sic tempus, veſtitus, comitatus & aliæ eiuſmodi circunſtantiæ res adiunctæ ſunt, denique quicquid vlli ſubiecto extrinſecus accidit, adiunctũ eius eſt. Hoc modo Horatius lib. 2. epiſt. adiuncta quædam ſapienti attribuit,

Ad ſummum ſapiens vno minor eſt Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Cicero 7. Philip. Diſſuadet ſenatui pacẽ cum Antonio ab adiunctis. Cur igitur (ait) pacẽ nolo? quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt. Sic & ſigna pleraque ſenſu deprehenſa, quæ plerunque circa rem aliquam contingunt, adiuncta ſunt. Ex eiuſmodi adiunctis ſignis Dauus apud Terentium, falſas eſſe Pamphili nuptias colligit,

D. Vxorẽ tibi iam nõ dat Chremes. P. quî ſcis? D. Scio.
Tuus pater modo me prehendit: ait tibi vxorem dare ſe
Hodie: item alia multa, quæ nunc non eſt narrandi locus.

Continuo ad te properãs percurro ad forũ, vt dicã tibi hęc.
Vbi te non inuenio, ibi aſcendo in quẽdam excelſum locũ,
Circunſpicio: nuſquam, forte ibi huius video Birriam:
Rogo: negat vidiſſe: mihi moleſtum: quid agam, cogito:
Redeunti interea ex ipſa re mihi incidit ſuſpicio: hem,
Paululùm obſoni, ipſus triſtis, de-improuiſo nuptiæ
Non cohærent. P. quorſum nam iſtuc? D. egomet continuò ad Chremem:
Cum illo aduenio, ſolitudo ante oſtium: iam id gaudeo.
C. Rectè dicis. P. Perge. D. maneo: interea introire neminẽ
Video, exire neminem: matronam nullam: in ædibus
Nihil ornati, nihil tumulti, acceſſi intro: aſpexi. P. Scio:
Magunm ſignum.

Eſt verò adiunctorum ad ſubiecta quibus occupantur, vſus item magnus. Hoc argumento Plato miſeras ciuitates auguratur, quæ Medicorum & iudicum multitudine indigeant, quia multam quoque & intemperantiam & iniuſtitiam in ea ciuitate verſari neceſſe ſit.

Ex hoc igitur adiunctorum loco multa ſubiecta themata declarãtur, ac multa propoſita dubia confirmantur.

DE OPPOSITIS.

OPpoſita ſunt quæ reuera inter ſe diſſentiunt & repugnant. Vnde diſſentanea & repugnantia ſæpe vocantur. Itaque eidem attribui, ſecundum idem, & ad idem & eodem tempore non poſſunt. Sic Socrates albus & ater non poteſt eadem parte eſſe: pater & filius eiuſdem, ſanus & æger eodẽ tem-

pore. At albus eſſe poteſt alia parte, & ater alia: pater huius, filius illius: ſanus hodie, cras ęger. Quãobrem ex altero affirmato alterum negatur. Et quanquam oppoſita ſua natura ſunt inter ſe ęque nota, attamen alterum alteri oppoſitum clarius eluceſcit. Tum enim pacis bona melius intelligimus, cum belli incõmoda expenduntur. Sobrietatis bona melius intelliguntur, cum colligimus quantũ mali pariat ebrietas. Oppoſita ſunt contraria aut diſparata. Contraria ſunt oppoſita quorum vnum vni tantum opponitur. Eorum genera quatuor ſunt, relata, aduerſa, priuantia, contradicentia. Relata ſunt cõtraria quorum alterũ quicquid ipſum eſt alterius eſſe dicitur. Alterúmque ſine altero eſſe non poteſt, vt pater filij & filius patris, maritus vxoris, & vxor mariti, dominus ſerui, & ſeruus domini relatum eſt. Sic ſimplex thema ſæpe hinc declaratur, cum illi ſuum opponitur relatum. Argumẽtum firmiſſimũ hinc depromitur, cũ vno relatorum poſito remouetur alterum, vt Auguſtus eſt filius Octauij, ergo nõ eſt pater Octauij. Dauus eſt Simonis ſeruus, Ergo non eſt eius dominus. Quoniam autem relata mutuo ſe perpetuo reſpiciũt, dicũtur ſimul eſſe naturâ, vt qui alterũ perfectè norit, norit & reliquum. Vnde poſito vno, plerúmque ponitur & alterũ, Et negato vno, negatur & alterum. Vt Simo eſt dominus, Ergo habet ſeruum. Non eſt dominus, Ergo nõ habet ſeruum. Sic Martialis in Soſibianum. lib. 1.

Tum ſeruum ſcis te genitum, blandéque fateris,
Cum dicis dominum, Soſibiane, patrem.

Cicero pro Marc. Ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio ſit laus, cum in accepto tãta ſit gloria. Et in Oratore perfecto. Num igitur eſt periculum (ait) ne quis putet in magna arte, & glorioſa turpe eſſe docere alios id, quod ipſi fuerit honeſtum diſcere? Atqui argumentum talis relationis contrarium nihil habet, imò arguit mutuas cauſas: vt, Sum tuus pater: Tu es igitur meus filius. At cum dicitur, Sum tuus pater, non igitur ſum tuus filius: tum contraria verè ſunt.

Aduerſa ſunt contraria quæ inter ſe velut è regione perpetuò aduerſantur, vt candor & nigror, calidum & frigidum, bonum & malum, virtus & vitium. Eſt verò huius loci vſus frequens in tractando ſimplici themate, quia illud oppoſitione ſui cõtrarij è regione aduerſi fit illuſtrius. Argumentum hinc ſumitur, cum altero aduerſorum affirmato, alterum tollitur, vt, Corpus calidum eſt, Non igitur frigidum. Nix eſt candida, Ergo non eſt nigra. Ac ſi aduerſa medium non habeant, negato etiam vno, ponetur alterum. Et contrà, vt Non eſt ſanus, ægrotus igitur. Ex hoc contrariorum genere Cicero 5. Tuſcul. diſputat. Quid quum fatẽtur ſatis magnam vim eſſe in vitiis ad miſeram vitam, nõnne fatẽdum eſt eandem vim in virtute eſſe ad beatã vitam? Cõtrariorum enim contraria ſunt conſequentia. Idẽ li. 1. de Finib. ſic ex ſententia Epicuri colligit voluptatem eſſe ſummum bonum. Si ſummum malum eſt viuere cum doloribus, conſentaneum eſt ſummum

eſſe

eſſe bonum viuere cum voluptate.

Priuantia ſunt contraria quorum alterum eſt habitus, alterũ habitus priuatio: vt, Viſus eſt habitus, cæcitas eius priuatio in homine aut animante alio, in quo viſus & cæcitas ineſſe poſſit. Sic mors & vita, motus & quies, diues & pauper, ſobrius & ebrius opponuntur. Seneca in Theba:

Eripere vitam nemo non homini poteſt,
At nemo mortem, mille ad hanc aditus patent.

Sic multa priuantia inter ſe opponuntur apud Ciceronem 4. de Finib. Bonum liberi, miſera orbitas, bonum patria, miſerum exilium, bona valetudo, miſerum morbus, bonum integritas corporis, miſera debilitas, bonum incolumis acies, miſera cæcitas.

Argumentum verò hinc ducitur, cum priuantium altero poſito & affirmato, alterum tollitur. Et contrà, vt Hic homo cæcus eſt, igitur non videt. Videt, igitur non cæcus. Mortuus eſt, Non igitur viuit, Viuit, non igitur mortuus. Lux non eſt, Ergo tenebræ ſunt. Sic Martial. lib. 4. Æmilianum pauperem probat diuitẽ eſſe non poſſe, quod ſoli diuites diteſcãt,

Semper eris pauper, ſi pauper es Æmiliane,
Dantur opes nullis nunc, niſi diuitibus.

Contradicentia ſunt contraria quorum alterum ait, alterum negat omnino idem, vt homo, non homo: doctus, non doctus: iuſtus, non iuſtus. Sic cuilibet ſubiecto opponi poteſt quod illud negat. Vno autẽ contradicẽtium poſito, alterum neceſſario adimitur. Nam ſi vnum verum eſt, alterum erit falſum.

Vt ſi verum eſt, Socrates eſt philoſophus, falſum eſt Socrates non eſt philoſophus. Propertius eleg. 2. lib. 3. a contradicentibus ſic probat decus ingenio paratum, peremne eſſe:

At non ingenio quæſitum nomen ab æuo
Excidet, ingenio ſtat ſine morte decus.

Diſparata ſunt oppoſita quorum vnum multis pariter opponitur, vt viride, cineraceum, rubrum, media ſunt inter album & nigrum, quæ ſingula extremis & inter ſe diſparata ſunt. Sic homo, arbor, lapis, & eiuſmodi res infinitę diſparantur, nec eadē res poteſt eſſe homo, arbor, lapis. Sic liberalitas, effuſio, auaritia inter ſe repugnant. Sic mediocritati exceſſus & defectus opponuntur. Argumētum hinc ſumitur, cum vno diſparatorū poſito, tollitur alterum. Vt homo eſt, Igitur non leo. Gallus eſt, nō igitur Germanus. Sunt quędam prærerea non re, ſed ratione ſola diſſentanea, aquæ appellantur diuerſa. Vt Ouidius 2. de arte:

Non formoſus erat, ſed erat facundus Vlyſſes,

Nam formoſus & facūdus reipſa ſimul eſſe poſſunt.

DE COMPARATIS.

Comparata ſunt quę inter ſe conferuntur. Ea ſunt in quantitate aut qualitate.. Illa res comparatæ dicuntur quantæ, hac vero quales. Comparata in quantitate ſunt paria vel imparia. Paria ſunt quorū eſt vna & eadem quantitas. Sic Martialis vndecimo epigrammatum Traiani Cæſaris equitatem cum Numę æquitate comparat,

Tanta tibi eſt recti reuerentia, Cæſar & æqui,
Quanta Numæ fuerat: ſed Numa pauper erat.
Ardua res hęc eſt, opibus non tradere mores:
Et cum tot Crœſos viceris, eſſe Numam.

Sic Cicero 4. Catil. de Pompeio. Cuius res geſtæ atque virtutes iisdem, quibus ſolis curſus, regionibus ac terminis continentur. Sic quodlibet ſubiectum thema explicatur a pari. Dubium autem propoſitum hinc probatur iuxta illud Ariſtot. axioma c.4.l.2.Top. Pariũ ſi alterũ nõ ineſt, neque reliquũ: Si vero alterũ & reliquũ. Sed paria hic dicũtur quorum eſt par probabilitas ſiue ratio veritatis. Cicero in Topic. Si conſilio iuuare ciues & auxilio æqua in laude ponendum eſt, pari gloria debent eſſe ij qui conſulunt, & ii qui defendũt. At quod primum eſt. Quod ſequitur igitur. Sic D. Paulus ad Corinthios diſputat, Nemo ſuis ſumptibus militat, Igitur qui alios docet, non ſuis ſumptibus debet viuere, ſed illorum quibus prędicat.

Imparia ſunt, quorum quantitas non eſt vna, vt maius & minus.

Maius eſt cuius quantitas excedit. Sic ſubiectum thema a maiori declaratur, cum illi aliquid maius comparatur. vt, Frutex eſt minor arbore. Sic ſapiẽs cum Ioue ab Horatio comparatur, cum ait,

Sapiens vno minor eſt Ioue.

Sic homo cum mundo comparatur vnde μικρόκοσμος, appellatur. Argumentum a maiori ducitur

iuxta hãc Ariſtotelis regulam: Si quod magis vide tur ineſſe non ineſt, neque quod minus. Id auten magis ineſſe videtur quod magis probabile eſt. vt, S ſaxa nõ poſſunt perpetuò durare, multo minus cha tæ poſſunt. Terentius in Heaut.

—Satrapes ſi ſiet
Amator, nunquam ſufferre eius ſumptus queat,
Nedum tu poſſis.

Minus eſt cuius quantitas exceditur. Sic ſubiectum thema explicatur à minori, cum aliquid minus ill confertur, vt, Frutex eſt maior herba. Maior eſt ani mi voluptas quàm corporis. Horat. Vilius argenti eſt auro, virtutibus aurum. Sic Cicero pro Mur. im peratorẽ cũ iureconſulto comparat. Quî poteſt du bitari, quin ad conſulatum adipiſcendum multo plus dignitatis afferat res militaris, quã iuris ciuili gloria? Vigilas tu de nocte, vt tuis cõſultoribus re ſpondeas, ille vt eo, quo intendit, maturè cum exer citu perueniat: te gallorum, illum buccinarum can tus exuſcitat: tu actionem inſtituis, ille aciem in ſtruit: tu caues ne tui conſultores, ille ne vrbes aut caſtra capiantur: ille tenet & ſcit, vt hoſtium copiæ, tu vt aquæ pluuiæ arceantur: ille exercitatus eſt in propagandis finibus, tu in regendis. Sic Corydon a pud Virgil Eglog. 7. amicam ſuam commendat: collatione minorum:

Nerine galatea thymo mihi dulcior hyblæ,
Candidior cygnis, hedera formoſior alba.

Argumentum à minori promitur ſecundum ill

Ariſtotelis axioma. Si quod minus videtur ineſſe ineſt, & quod magis. Id autẽ minus eſſe videtur quod min⁹ probabile eſt. Vt, Miles potuit expugnare vrbem: Ergo & exercitus poterit. Diſcipulus intelligit hoc, multo magis & præceptor. Cicero pro lege Manilia, Bellum &c.

Romanis eſſe gerendum confirmat à minori: Maiores veſtri ſæpe mercatoribus ac nauiculatoribus iniurioſius tractatis, bella geſſerũt. Vos tot ciuiũ Romanorum millibus vno nuncio, atque vno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Sic Iuno apud Virgilum è minori argumentatur,

—Pallas ne exurere claſſem
Argiuûm, atque ipſos potuit ſubmergere Ponto,
Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei?
Aſt ego quæ diuûm incedo regina, Iouíſque
Et ſoror & coniunx, vna cum gente tot annos
Bella gero?

Comparata in qualitate ſunt ſimilia aut diſſimilia. Similia ſunt quorum eſt eadem qualitas. Frequentiſſimè autem res ſubiecta quo fiat illuſtrior alicui adſimilatur. Vt Cic. Morti nihil eſt tã ſimile quàm ſomnus. Ouid. lib. 15 Metamorph.

Nam tener & lacteus, puerique ſimillimus æuo
Vere nouo eſt: tunc herba recens & roboris expers
Turget, & inſolida eſt & ſpe delectat agreſtes, &c.

Quæſtio dubia plerumque etiam à ſimilibus apertè demõſtratur, quoniam de ſimilibus idem eſt iudicium. Sic Cicero in Vatin. Prauos homines ex-

tirpandos eſſe arguit à ſimili. Vt Medici membrum ſæpe putrefactum incidunt, atque in totum eradicant, ne aliam corporis partem labefactare aut corrumpere poſſit: ſic neceſſe eſt, ſi Rempub. ſaluam eſſe volumus, vt perditiſſimos homines ex vrbe penitus extirpemus, ne corruptus integro, violatus caſto, labem infringat. Sic Ouidius de remed. amor. à ſimili oſtendit amorem celeriter excitari:

Vt penè extinctum cinerem, ſi ſulphure tangas
Viuet, & ex minimo maximus ignis erit:
Sic niſi vitaris quicquid reuocabit amorem,
Flamma redardeſcet, quæ modò nulla fuit.

Diſſimilia ſunt quorum qualitas eſt diuerſa. Vt Cic. 3. de Orat. Non eſt Philoſophia ſimilis artium reliquarum. Nam quid faciet in Geometria, qui non didicerit? quid in Muſicis? aut taceat oportebit, aut ne ſanus quidem iudicetur: hæc verò quæ ſunt in Philoſophia ingeniis eruuntur, ad id quod in quoque veriſimile eſt eliciendũ acutis atque acribus: eáque exercitata oratione poliuntur. Sic quæſtio ſubiecta aliquando cum diſſimilibus comparatur. De diſſimilibus non idem eſt iudicium, Itaque diſſimilium vno poſito, adimitur alterum, Vt, Non eadem eſt anima hominis atque anima bruti: Anima autem bruti ſimul cum corpore perit: Igitur anima rationalis non cum corpore perit.

DE DEFINITIONE.

ATque hi primi inuentionis loci ſunt, à primis orti duo ſunt Definitio & Diuiſio.

Definitio eſt rei vel nominis.

Definitio rei eſt quæ explicat quid res ſit. Abſolutéque definitio dicitur. Definitionis partes ſunt duæ, genus & differentia.

Genus authore Ariſtotele c.4.l.1.Topic.eſt quod de multis ſpecie differẽtibus, in quæſtione quid eſt dicitur. Species verò eſt quod ſubiicitur generi, & de qua genus in quæſtione qua quid quicque ſit quæritur, dicitur. Sic animal genus eſt hominis & beſtiæ quia homo & beſtia ſpecie differunt: & de iis ſi quæratur, quid eſt homo aut beſtia, animal dicetur. Sic homo & beſtia ſunt animalis ſpecies, quia ſubiiciuntur animali & de iis animal eſſentialiter dicitur. Genus verò & ſpecies ſymbola ſunt cauſarum & effectorum, vt in animali eſt ſubſtantia corporea quæ materia eſt, ſpecies communiter attingẽs: tum facultas vitæ & ſenſus quæ forma communiter ad ſpecies ſpectat. Quare genus continet cauſas, quæ communiter ad ipſius ſpecies attinent, contráque ſpecies, effecta generis ſui continent. Genus verò eſt generaliſſimum aut ſubalternum. Species ſubalterna aut ſpecialiſſima. Genus generaliſſimum cuius nullũ eſt genus, vt Subſtantia. Subalternum genus, vt ſubalterna item ſpecies, quod ſpecies huius, illius autem genus eſt. Vt, Animal eſt ſpecies corporis animati, & genus hominis & beſtiæ. Species ſpecialiſſima q̃ nullas inferiores ſpecies habet, vt ex Ariſtotelis doctrina, eſt homo. ex P. Rami verò ſententia,

Socrates, Plato & reliqui ſingulares homines, quos Philoſophi indiuidua vocant. Differentia id omne hîc dicitur quo ſpecies ab alia eiuſdem generis ſpecie, cæteríſque rebus differt. Sic ratio eſt differentia hominis, quia homo ratione à beſtia cæteríſque rebus diſtinguitur. Sic latratus erit differentia canis, quia canis latratu ab aliis beſtiis, cæteríſque animalibus differt. Differentia verò ſumitur ex omnibus locis, vnde plures definitionis ſpecies exiſtunt. Eſt enim definitio propria vel impropria. Illa verè eſſẽtialis, hæc verò ferè accidentalis eſt. Definitio propria eſt definitio conſtans è cauſis, vbi differẽtia ſumitur è forma & eiuſmodi cauſis eſſentiam rei conſtituentibus, vt homo eſt animal rationale. Grammatica eſt ars bene loquendi. Atque hæc definitio perfecta dicitur, quia omnes cauſas quæ ſunt in re ipſa, continet. Vt in definitione hominis (animal rationale) genus, animal, ſignificat materiam & duas facultates formæ hominis, vnam viuendi, alteram ſentiendi: differentia autẽ rationale, ſignificat principem formam hominis, videlicet participem rationis, quæ etiam eſt cauſa efficiens, quia ſtatum hominis conſeruat: & finis, quia ad eius vſum omnia hominis facta referuntur.

Definitio impropria eſt quæ ex aliis locis rem definit, vt ex effectis, ex ſubiectis, ex adiunctis, ex oppoſitis, ex comparatis.

Definitio ex effectis cum differentia ſumitur ab effectis, vt virtus eſt habitus animi, qui beatum hominem

minem efficit,Sic vir bonus apud Hor.Lib. 1.epiſt. definitur:

--- Vir bonus eſt quis?

Qui conſulta patrum, qui leges,iuráque ſeruat.

Definitio ex ſubiectis quando differentia ſumitur è ſubiectis,vt febris eſt calor præter naturam accenſus in corde.

Definitio ex adiunctis,vbi differentia ſumitur ex adiunctis,vt canis eſt animal latrans.Ignis eſt elemẽtum calidum & ſiccum.

Definitio ex oppoſitis,quoties differentia ex oppoſitis depromitur, vt, pater eſt qui filium habet. Filius vero qui patrem , Horat. lib. 1. epiſt.

Virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima.

Stultitia caruiſſe.

Cæcus eſt qui videre non poteſt.

Definitio ex comparatis,cum differentia ducitur à comparatis,vt Elephas eſt animal cæteris animalibus terreſtribus maius. Ciuitas ſine magiſtratu, eſt nauis ſine gubernatore. Sic quid vnũquodque thema ſimplex ſit definitione cognoſcimus & explicamus.Argumentum etiam firmiſſimum ex definitione ducitur,ad affirmandum aut negandum propoſitum quodlibet. Poſita enim definitione res definita ponitur, Et definitione adépta,res definita adimitur.vtEſt animal rationale,Ergo homo eſt.Simia nõ eſt animal rationale, Igitur nec homo. Cicero 5. paradoxo probat à definitione ſapientẽ eſſe liberũ:

Dictum eſt (inquit) ab eruditiſſimis viris, Niſi ſapiẽtem, liberum eſſe neminem. Quid eſt enim libertas? poteſtas viuendi vt velis. Quis igitur viuit vt vult? niſi profecto qui recta ſequitur, qui gaudet officio, cui viuendi via conſiderata, atque prouiſa eſt, qui legibus quidem non propter metum paret, ſed eas ſequitur, atque colit, quia id ſalutare maximè eſſe iudicat: qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, niſi libenter ac liberè: cuius omnia conſilia, réſque omnes quas gerit ab ipſo proficiſcuntur, eodémque referuntur.

Non modo à tota definitione ducuntur argumenta, ſed etiã à partibus definitionis. Genere enim omnino affirmato aut negato ſpecies affirmatur, aut negatur, vt Omnes artes nouit, Igitur & Dialecticam. Non eſt arbor, Igitur platanus non eſt. Differẽtia etiam quæ propriè & verè dicitur poſita, ſpecies ponitur, & illa adempta, adimitur & ſpecies, vt Rationalis eſt, Ergo homo eſt: Nõ rõnalis eſt, ergo homo non eſt. Definitio autẽ propriè dicta, tribus virtutibus laudatur, proprietate, vt rem totam & ſolam definiat, perſpicuitate vt claris & perſpicuis verbis exponat quid res ſit, breuitate vt facilè percipiatur, & ediſcatur.

De Notatione.

DEfinitio nominis notatio dicitur. Græcè vero ἐτυμολογία. Notatio eſt nominis interpretatio. Cicero 2. offic. Philoſophia nihil eſt aliud ſi rectè interpretari volumus, quàm ſtudium ſapientiæ. Sic

ex vi nominis definitur homicida qui hominem occidit. Et locuples qui locorum, pecunioſus qui pecorum copiam habet. Huius loci vſus eſt frequentiſſimus & in tractando ſubiecto themate, quia aperit vnde nomen rem ſignificans ortum ductúmque ſit, & in dubio propoſito confirmando, quia rem dubiam ex nominis origine & natura arguit & probat, vt Hic ſapiētiæ ſtudioſus eſt, Ergo philoſophus eſt, Hic regit populū, Ergo rex eſt. Hic nō tuetur neque defēdit pupillū, Ergo tutor nō eſt. Nec vero notatio vera definitio eſt, niſi definitionis legē impleat ratióque ſit quæ explicet quid ſit. Quāuis enim homo dicatur ab humo, non ideo tamen quicquid humo formatum eſt, protinus homo eſt.

De Coniugatione.

Notationi finitima eſt coniugatio. Hæc enim nominum eiuſdē generis varia deductio eſt, vt iuſtitia, iuſtus, iuſte. Grecè συζυγία dicitur, ab Ariſtotele vero li. 2. Topic. συστοιχία, & coniugata σύστοιχα vocātur. Sed coniugatorum vſus præcipuè videtur poſitus in demonſtrando. Vno enim coniugatorum poſito, alterum neceſſario ponitur. vt, Ager eſt compaſcuus, Ergo ius eſt compaſcere. Temperare bonū eſt, Ergo temperantia eſt bona.

DE DIVISIONE.

Diuiſio eſt rei vel nominis. Diuiſio rei eſt quæ rem totam in ſuas partes diſtribuit, & abſolutè diuiſio dicitur. Tanto autem accuratior eſt, quanto partium & cum toto conſenſio

& inter ſe diſſenſio eſt maior. Diuiſio eſt ex cauſis, aut effectis, aut ſubiectis, aut adiunctis.

Diuiſio ex cauſis eſt, quando partes cauſæ ſunt totius. Hîc diſtributio integri in ſua membra præcipuè laudatur, quia hæc cauſæ ſunt illius eſſentiam conſtituentes. Vt, Homo diuiditur in corpus & animum, è quibus natura hominis componitur. Sic humanæ animæ natura triplex dicitur vitæ, ſenſus, rationis, è quibus tota animæ noſtræ conſtat eſſentia & natura. Sic Dialectica in inuentionem & diſpoſitionem partitur. Sic artes omnes diſtribuuntur in partes è quibus conſtituuntur Hæc autem diuiſio propriè partitio nominatur, quia in hac vnà & ꝓprie ὅλον λέγεται, οὗ μηδὲν ἄπεστι μέρος, ἐξ ὧν λέγεται τὸ ὅλον φύσει. c. 26. l. 5. Metaph. totũ dicitur à quo nulla pars abeſt earũ ex quib⁹ totũ natura dicitur, & verè ſunt μόρια ἐξ ὧν συγκεῖται τὸ ὅλον, c. 25. lib. ſup. partes ex quibus totum componitur.

Diuiſio ex effectis eſt cum partes ſunt effecta. Vt, Hominum alij curant Rempublicam, alij domeſticam, alij neutram. Huius eſt diuiſio generis in ſpecies, quia ſpecies ſunt effecta ſui generis. Sic animal diuiditur in hominem & beſtiam. Sic Cicero 1. offic. Virtutem diuidit in ſpecies quatuor, prudentiã, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam. Sed omne quod honeſtum eſt, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perſpicientia veri ſolertiáque verſatur, aut in ſocietate hominum tuenda, tribuendóque ſuum vnicuique, & rerum contractarum fide,

aut in animi excelſi atque inuicti magnitudine ac robore, aut in omnibus quæ fiunt, quæque dicuntur ordine & modo, in quo ineſt modeſtia & temperantia. Nihil verò intereſt, an genus in ſpecies, an in earum formas ſeu differentias diſtribuatur. Idem enim diuiſionis modus eſt, cum diuiditur animal in rationale & irrationale, & cum in hominem & beſtiam diuiditur, ſed illic ſpecies ſuis definitionibus, hîc ſuis nominibus exprimuntur. Totũ enim quod diuiditur in partibus nihilominus intelligitur, tanquam ſi diceres, Animalium aliud animal eſt rationale, aliud animal eſt irrationale. Exempla rerum ſingularia quibus vniuerſalia & communia artium præcepta illuſtrantur, ex P. Rami ſententia ſpecies ſunt ſingulares & propriæ, & ideò ad hunc locum referenda.

Diuiſio è ſubiectis eſt cum partes ſunt ſubiecta. Sic Cicer. 3. Tuſc. Bonũ diſtribuit in tres partes ſubiectas. Tria ſunt (inquit) genera bonorum, maxima animi, ſecunda corporis, externa tertia. Et Philoſophiam 1. de Orat. Philoſophia (ait) in tres partes eſt diſtributa, in naturæ obſcuritatem, in vitam atque mores, & in differendi ſubtilitatem.

Diuiſio ex adiunctis eſt, quando partes ſunt adiũcta, vt Rerum aliæ ſunt bonæ, aliæ malæ, aliæ mediæ. Corporum alia magna, alia parua: aliæ ſana, alia ægra. Hominum alij docti, alij indocti: alij diuites, alij pauperes. Cæſar 1. bell. Gal. Gallia eſt omnis diuiſa in partes tres, quarum vnã incolunt Belgæ, aliam

Aquitani, tertiam qui ipſorum lingua Celtæ,noſtra Galli appellantur. In ſingulis diuiſionis generibus eius ad tractandam & explicandam quæſtionem ſimplicem,vſum exemplis illuſtrauimus,iam eius etiam ad quæſtionem dubiam probandam vſum demonſtremus. Argumentum ex diuiſione ſumitur, cum ex partibus totum colligitur, & propriè inductio dicitur, quanuis vulgo inductionem argumentationis ſpeciem eſſe exiſtiment. Inductio igitur eſt ex partibus, cum affirmatione partium omnium affirmatur totum, & negatione partium non ſolum omnium,ſed etiam quarundam totum negatur, vt Plebs Romana optimè de Milone ſētit,&equeſter ordo,& Senatus, Totus ergo populus Romanus optimè ſentit de Milone. Nec fundamentū, nec tectum,necparietes ſunt,Igitur nō eſt domus. Non habet animam,Ergo homo non eſt. Frequentiſſima verò inductio ex ſpeciebus eſt, cum ſpecies omnes affirmatæ vel etiam vnica, genus etiam affirmatur.Et ſpecies omnes negatæ,genus etiam negatur,Vt Prudētia eſt laudabilis,Tēperātia eſt laudabilis,cęteræque etiā virtutes laudabiles ſūt, Omnis igitur virtus eſt laudabilis.Lilium eſt,igitur flos eſt. Sic Ouidius lib. 1. Triſt. ab inductione,vno premente Deo, alterum ſæpe opem ferre colligit.

Mulciber in Troiam,pro Troia ſtabat Apollo,
Æqua Venus Teucris,Pallas iniqua fuit.
Oderat Æneam propior Saturnia Turno,
Ille tamen Veneris numine tutus erat.

Sæpe ferox cautum petiit Neptunus Vlyſſem,
Eripuit patruo ſæpe Minerua ſuo, &c.
Sæpe premente Deo, fert Deus alter opem.

Sic Cicero 2. de Diuinat. à ſpecialiũ exemplorum inductione, probat inutilem eſſe hominibus rerum futurarum ſcientiam: Quæ (inquit) vita fuiſſet Priamo, ſi ab adoleſcentia ſciſſet, quos euentus ſenectutis eſſet habiturus? Marcóne Craſſo putas vtile fuiſſe, tum cum maximis opibus, fortuníſque florebat, ſcire ſibi interfecto P. filio, exercitúque deleto, trãs Euphratem cum ignominia & dedecore eſſe pereũdum? An Cn. Pompeium cenſes, tribus conſulatibus ſuis, tribus triumphis, maximarum rerum gloria lætaturum fuiſſe, ſi ſciret ſe in ſolitudine Ægyptiorum trucidatum iri, amiſſo exercitu? Quid verò Cęſarem putamus, ſi diuinaſſet fore, vt in eo Senatu quem maiore ex parte ipſe cooptaſſet, in curia Põpeiana, antè ipſius Pompeij ſimulachrum, tot centurionibus ſuis inſpectantibus, à nobiliſſimis ciuibus, partim etiam à ſe omnibus rebus ornatis trucidatus ita iaceret, vt ad eius corpus non modo amicorum, ſed ne ſeruorum quidem quiſpiam accederet, quo cruciatu animi vitam acturum fuiſſe? Certè igitur ignoratio futurorum malorum vtilior eſt, quàm ſcientia.

Principia vniuerſalia, cõmuniáque artium præcepta inductione, & rerum ſenſilium obſeruatione inuenta & collecta fuiſſe Plato, Ariſtoteles & cæteri Philoſophi affirmant,

De iisque ſi quiſpiã addubitet an vera ſint, hac vna inductione demonſtrari poſſe profitentur. Vnde in Topicis cap.2. lib.8. dicitur ad perſpicuitatem exẽpla familiaria adhibenda eſſe,vnde res cognoſcuntur,qualia ſunt apud Homer.nõ apud Chęrilũ,quod ſic clarius & manifeſtius fiat quod proponitur.

De diſtinctione.

Diuiſio nominis eſt diſtinctio nominis πολυσήμυ id eſt ambigui in ſua ſignificata,vt libertas alia ciuilis,alia ſpiritualis eſt.Canis alias animal terreſtre alias piſcem,alias aſtrum ſignificat. Diſtinctio plurimum valet & ad rem ſubiectam intelligendam & declarandam, & ad diiudicandum & ſoluendum quod dubium eſt. Quemadmodum enim à peritis falluntur ii, qui calculos ſubducere neſciunt: ſic in diſputatione qui verborũ vim neſciunt,decipiũtur, ſiue ipſi diſputent,ſiue diſputantes audiãt. Itaque ſi quis diſputet principem ſeruum eſſe,diſtinguendũ erit,ſeruitutem alias accipi ciuiliter, cum ſignificat corpora noſtra & fortunas noſtras in poteſtate aliorum eſſe, alias accipi μεταφορικῶς, cum ſignificat animas ſeruire peccato,& obnoxias eſſe vitioſis affectibus. Atque inde concludet hac ſeruitutis ſignificatione principem ſeruum dici poſſe, illa verò minimè.Sic Martialis de Paulo:

Carmina Paulus emit, recitat ſua carmina Paulus,
Nam quod emas poſſis dicere iure tuum.

Illic poſſeſſor ſignificatur quod emerit:hîc author quod

quod fecerit. Itaque diſtinguẽdum erit, Sua, vel quę fecit, vel quæ emit.

De Teſtimonio.

HActenus loci Dialectici vnde rei ſubiectæ attributa & quæſtionis probandæ argumẽta inueniuntur expoſiti ſunt. Argumenta præterea ad quæſtionem controuerſam probandam aſſumuntur, ex alicuius perſonæ authoritate & teſtimonio, id eſt ex iis quæ quiſquam de re propoſita dixit, aut ſenſit ac iudicauit. Sic Plato & Ariſtoteles & cęteri Philoſophi ad dubias pleraſque Philoſophicas quæſtiones cõfirmandas antiquorum Philoſophorum & quandoque etiam Poëtarum teſtimonio vſi ſunt. Sic in Medicina, Iuriſprudentia, Theologia aliiſque artibus teſtes ſæpe citantur authores ad fidẽ rei dubiæ faciendam. Sic Cicero in defenſione Milonis probat Clodium inſidias feciſſe Miloni à teſtimonio: Sed quid ego argumentor? quid plura diſputo? Te Q. Petili appello, optimũ & fortiſſimum ciuem: Te M. Cato teſtor: quos mihi diuina quædã ſors dedit iudices: Vos ex M. Fauonio audiſtis Clodium ſibi dixiſſe, & audiſtis viuo Clodio, periturum Milonem triduo. Poſt diem tertium geſta res eſt, quam dixerat. Cum ille non dubitarit aperire quid cogitaret, vos poteſtis dubitare quid fecerit? Sic in omnibus ciuilibus negotiis & iudiciis, huius loci maximus eſt vſus. His enim lites inſtruuntur & de capite, fama, fortuníſque ciuium hoc argumẽto iudicatur. Fides autem quæ teſtimonio adhibetur fa-

F

mæ & exiſtimationi perſonæ tribuitur. Perſona verò quæuis fide digna eſt, ait Ariſtoteles c. 2. l. 1. & c. 1. l. 2. ad Theod. cui prudentia, bonitas & beneuolentia coniunctæ ſunt. Sapientia, bonitas, beneuolentia ſummæ ſunt in Deo, ideoque diuinis teſtimoniis ſumma fides adhibetur: hominum dictis maior minórve prout hæ circunſtantię maiores minoréſue fuerint.

De hoc autem loco hæc Cicero lib. 1. de nat. deor. Non tam authoritas in diſputando, quàm rationis momenta quærenda ſunt. Quinetiam plerumque obeſt iis, qui diſcere volunt, authoritas eorum qui ſe docere profitentur, deſinunt enim ſuum adhibere iudicium. Id habent ratum, quod ab eo quem probant, iudicatum vident. Nec verò probare ſoleo id quod de Pythagoreis accepimus, quos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando, cum ex iis quæreretur, quare ita eſſet, reſpondere ſolitos: Ipſe dixit. Ipſe autē erat Pythagoras. Tātū opinio præiudicata poterat, vt etiā ſine ratione valeret authoritas

Argumenta autem à teſtimonio inartificialia appellantur & aſſumpta, quod ex totius quęſtionis affirmatione vel negatione extrinſecus aſſumantur. Quę autem a cæteris locis ducuntur argumenta, artificialia dicuntur & inſita, quia in partibus quæſtionis hærent, & ideo ex antecedente vel conſequente quæſtionis parte eruuntur, vt in hac argumētatione: Quicquid beatum hominem facit amplectendum: Virtus facit hominem beatum: Ergo am-

plectenda. Quæſtio eſt an virtus ſit amplectenda. Argumentum verò quo probatur, ab effectis virtutis quæ quæſtionis pars eſt antecedens ſumitur. At argumentum huius quæſtionis, An omnis homo ſit animal, à cõſequente parte in ſequenti exemplo depromitur: Corpus ſenſu præditum, eſt animal: Omnis homo eſt corpus ſenſu præditum: Ergo omnis homo eſt animal. Hîc enim probatur quæſtio à definitione animalis, quod quæſtionis eſt conſequens.

De vſu Topicæ inuentionis.

Quomodo verò inuentionis loci ad quaſque quęſtiones cognoſcendas & explicandas adhibeantur deinceps eſt videndum. In ſubiecto themate vt homine, anima, virtute, aut alio quolibet cuius perfectè & accuratè excutienda aut explicãda natura eſt, ſingulas imprimis conſideramus aut declaramus cauſas, effecta, ſubiecta, adiuncta, & cętera ſimplicia rei attributa, tum ex illis conſtituta definitionem & diſtributionem ſpectamus aut oſtendimus. Sic cum laus aut vituperatio ſubiecti thematis, vt virtutis, vitii, honoris, diuitiarum, belli, pacis aut alterius eiuſdem generis demonſtranda eſt, eius cauſas, effecta, ſubiecta, adiuncta, cæteráque attributa quę quęſtioni ſubiectę aptiora videntur, perluſtramus & aperimus. Eadem & demonſtrandi ſubiecti proprii ratio eſt. Ad perſonæ enim vt Cæſaris, Pompeij, aut alterius laudẽ aut vituperationem, cauſę ac pręcipuè efficientes, vt parentes & maiores, educatores: effecta vt inuenta, acta facta, dicta: ſubiecta, vt natio, patria: adiũcta vt animi, corporis, & fortunę cõmoda

vel incommoda, & cætera quæ aptè ſubiecto themati attribui poſſunt ſumuntur. Eadem attributa ad vrbem vt Romam, Lutetiam, Guiſiam, aut aliam rem eiuſdem generis laudandam aut vituperandam occurrunt: cauſæ vt conditor & gubernator, effecta vt qui ibi procreati ſunt, ſubiecta vt ſitus, adiuncta vt ciues, incolæ, Eccleſiæ, ſcholæ, ædificia, itémque cõmoda vel incõmoda, reliquáque omnia q̃ rei ſubiectę cõueniũt. Sic in tradẽdis artibus, quę ſimplicia themata ſunt aliquãdo omnes ordine loci adhibentur. In prętatione enim artis laus ſæpe ex cauſis, effectis, ſubiectis, adiunctis, & cæteris ſimplicibus locis, deinde ars definitione & diuiſione maximè explicatur. Materia etiam compoſita ſiue communis ſit, vt Anima eſt immortalis, Mors eſt contemnenda, ſiue propria, vt Clodius eſt inſidiator vitæ Milonis, Põpeius bello Aſiatico eſt præficiendus, confirmatur vel infirmatur à cauſis, effectis, ſubiectis, adiunctis, oppoſitis, comparatis, definitione, notatione, coniugatione, diuiſione, diſtinctione vel teſtimonio. Sed vt neque attributa ad ſubiectum thema explicandum, ſic neque ad dubiam rem probandam argumenta ex omnibus locis ducuntur, verũ ex perluſtratione & conſideratione locorum quæ iudicio differentis ad quæſtionem arguendam videtur magis conuenire, eruuntur.

DE DISPOSITIONE.

EXPOSITA inuentione Topica, quæ prima Logicæ pars eſt, ſequitur diſpoſitio. Diſpoſitio eſt ſecunda pars Logicæ qua notiones inuentæ cum propoſito themate diſponuntur, ad bene iudicandum. Vnde κριτικὴ, id eſt iudiciaria à Græcis dicitur. Diſpoſitionis ſpecies ſunt tres, enũciatio, argumẽtatio, & methodus.

DE ENVNCIATIONE.

ENunciatio eſt collocatio attributi cũ r: ſubiecta. Enunciatio autem multis modis diuiditur.

1. Enunciatio ſimplex eſt aut conditionalis.

Enunciatio ſimplex eſt, quando prædicatum cum ſubiecto ſimpliciter collocatur. Eius partes termini vocantur, antecedens eſt ſubiectum, conſequens verò prædicatum. Et quia enunciatio ſimplex purè κατηγορῶ id eſt prędicat aliquid de ſubiecto, categorica dicitur. Vt, Homo conditus eſt à Deo. Homo Deo gratias agit. Homo terram incolit. Homo eſt mortalis. Homo non eſt beſtia. Homo ad Dei imaginẽ eſt effictus. Homo eſt animal rationale. Homo ex corpore & animo conſtat. Homo doctus eſt vel indoctus. In his exẽplis cum ſubiecto themate (nempe, Homine) attributa ſimpliciter collocãtur, in primo videlicet cauſa, in altero effectum, in tertio ſub-

iectum, in quarto adiunctum, in quinto oppoſitũ, in ſexto comparatum, in ſeptimo definitio, in vltimis duobus diuiſio. Cum autem diuiſio de genere diuiſo non enunciatur, ſed de ſpecie aliqua eius generis ad quod diſtributio propriè pertinet, enunciatio diſiuncta dicitur, vt Homo aut rationalis eſt, aut irrationalis.

Enunciatio conditionalis eſt quando ſub conditione prædicatum cum ſubiecto diſponitur. Et vocatur enunciatio Hypothetica, à nonnullis connexa. Eius pars antecedens annexam conditionem cõtinet, conſequens verò prædicati cum ſubiecto collocationem. vt, Si homo iuſtè facit, iuſtus eſt. Si homo eſt bonus, diligitur à Deo. In his exemplis attributum non ſimpliciter, ſed cum conditione prædicatur de ſubiecto.

2. Enunciatio affirmata eſt aut negata. Affirmata cum prædicatum affirmatur de ſubiecto, vt, Virtus eſt habitus rectę rationi cõſentaneus. Negata, cum prædicatum negatur de ſubiecto: vt, Virtus fortunę non eſt indiga. Plautus.

3. Enunciatio eſt cõmunis aut propria. Communis cuius partes ſunt multorũ communes, éſtque generalis aut ſpecialis. Generalis quando commune prædicatum attribuitur generaliter communi ſubiecto, certíſque notis ſignificatur, cuiuſmodi ſunt, omnis, totus, quilibet, quiſque, vnuſquiſque, nullus, nemo, nuſquam, nunquam, vt, *Omne ſolum forti patria eſt.* Ouid. *Nemo malus fœlix.* Iuuenal.

Si omne animal eſt mortale, nullus homo eſt immortalis. Interdum nulla nota exprimitur, & nihilominus tamen enunciatio vniuersè concipiēda eſt: vt, Virtus eſt expetēda, perinde eſt ac ſi dixeris, omnem virtutem eſſe expetendam. Quomodo præcepta in artibus intelliguntur quæ generalia ſunt, licet his ſigna generalia plerumque non adhibeantur: vt, Grammatica eſt ars bene loquendi, tantum valet atque hoc: Omnis Grammatica eſt ars bene loquēdi. Generalis enūciatio in ſcholis Vniuerſalis tātum dicitur cùm ſubiecto præponitur vniuerſale ſignū, cùm verò ſubiecto non additur ſignum, Indefinita appellatur.

Enunciatio ſpecialis quando prædicatum commune non omni ſubiecto attribuitur, & certis notis exprimi ſolet, vt ſunt aliquis, quidam, aliquando, nonnullus, non omnis, &c. vt, Aliqua clementia eſt laudanda. *Non ſemper violæ, nec ſemper lilia florent.* Ouidius. Si homo eſt rationalis, aliquod animal eſt rationale.

Enunciatio propria cùm prædicatum ſubiecto proprio attribuitur: vt, Cicero eſt eloquentiæ parēs. Si Ariſtoteles bene philoſophatur, bonus eſt Philoſophus.

4. Enunciatio eſt immediata aut mediata. Immediata quæ cauſa aliqua naturâ priore & notiore demonſtrari non poteſt. Vt, Totum eſt maius ſua parte, & vocatur principium.

Mediata q̄ medio & argumēto ꝓbari & demōſtrari

poteſt, Vt, Anima eſt immortalis.

5. Enunciatio eſt vera aut falſa. Vera quando pronunciat vti res eſt: Vt, Omne graue tendit deorſum. Ariſt. Falſa, quando non pronunciat vti res eſt, vt Cœlum non mouetur.

6. Enunciatio eſt neceſſaria aut contingens. Neceſſaria vera quando attributum ſemper verum eſt κατὰ παντὸς de omni ſubiecto, vt, Animal ſentit. Impoſſibilis contra quæ de nullo vnquam vera eſſe poteſt. Vt, Aſinus loquitur. Contingens quando attributũ de ſubiecto ſic verum eſt, vt aliquando falſum eſſe poſſit. Vt, *Audentes fortuna iuuat.* Virg.

7. Enunciatio eſt Homogenea aut Heterogenea. Homogenea, quando partes ſunt eſſentiales inter ſe. Vt, Homo eſt rationalis. Ea appellatur καθ' αὑτὸ per ſe. Heterogenea quãdo partium altera ad eſſentiam alterius non pertinet, Vt, Homo eſt albus.

8. Enunciatio eſt reciproca aut non reciproca. Reciproca cum partes eædem reciprocæ ſunt, Vt, Homo eſt animal rationale. Omnis enim homo eſt animal rationale, & viciſſim, Omne animal rationale eſt homo. Id verò enunciatum eſt, quod ab Ariſtotele καθ' ὅλου πρῶτον vniuerſaliter primum appellatur.

Enunciatum non reciprocum eſt, cum partes non vltro citróque commeant. Vt in Grammatica, Nomen aliud eſt primitiuę ſpeciei, aliud deriuatiuæ. Item aliud ſimplicis figuræ, aliud compoſitæ. Quicquid enim eſt primitiuæ aut deriuatiuæ ſpeciei, & ſimplicis aut cõpoſitæ figuræ, non eſt nomen. Nam

pronomen,

pronomen,verbum, aduerbium, cæteræque dictiones ſunt primitiuæ aut deriuatiuæ, ac ſimplices aut compoſitæ.

In artibus autem enunciata ſimplicia, affirmata, communia, immediata laudantur, ſed magis vera, neceſſaria,homogenea,reciproca requiruntur.

Enũciatio enim ἐπιστημονικὴ καὶ τεχνικὴ, ſciẽtifica & artificioſa,omninóque ἀποδεικτικὴ debet eſſe his tribus notis prędita & inſignita κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου πρῶτον,vt præcipit Ariſtoteles cap.4.lib.1.poſt. Analyt.

Tres hæ ſunt leges documẽtorum artis propriorum. Prima κατὰ παντὸς lex veritatis,à P.Ramo appellatur,quia imperat vt artis theoremata ſint omnino neceſſarióque vera. Secunda καθ' αὑτὸ lex iuſtitiæ, quia iubet vt artis axiomata ſint cognata, germana, conſanguinea, & tanquam corporis eiuſdem membra, ac ſuũ omnino cuique arti tribuat. Tertia καθ' ὅλου πρῶτον, lex ſapientiæ, quæ ſancit vt artis decreta ſint propria & partibus reciproca, neque generale ſpeciei,neque ſpeciale generi tribuatur, ſed generale generaliter,& ſpeciale ſpecialiter enuncietur.

Attamen ſeuerè in omnibus omnium artium tradendis præceptis ſtudio & diligentia quantauis adhibita leges ipſæ perpetuò obſeruari non poſſunt. Itaque nonnullis aliquando anomalis enunciatis priuilegia irrogari neceſſe eſt.

Omnis autem enunciatio ſi per ſe clara ſit & manifeſta, de eáque dubitatio nulla ſit, vt principium, naturali lumine mẽtis intelligitur & iudicatur, nec

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

inueſtigandum in ea διότι id eſt quamobrem vera ſit, vt Ariſt. teſtatur ca. 4. li. 1. Ethic. ἀρχὴ γὰρ τὸ ὅτι· καὶ εἰ τοῦτο φαίνοιτο ἀρκούντως, οὐδὲν προσδεήσει τοῦ διότι· ὁ δὲ τοιοῦτος ἢ ἔχει ἢ λάβοι ἂν ἀρχαὶ ῥᾳδίως. Principium enim eſt quod res ſit. Quòd ſi ſit perſpicuum ipſum quamobrem ſit, nihil deſiderabitur. Homini enim eiuſmodi principia facilè percepta erunt & cognita. Et cap. 7. eiuſd. lib. οὐκ ἀπαιτητέον δ' οὐδὲ τὴν αἰτίαν ἐν ἅπασιν ὁμοίως, ἀλλ' ἱκανὸν ἔν τισι τὸ ὅτι δειχθῆναι καλῶς, οἷον καὶ περὶ τὰς ἀρχάς, τὸ δ' ὅτι πρῶτον καὶ ἀρχή· Neque verò omnium ſimiliter quærenda & inueſtiganda cauſa & ratio eſt: Nonnullíſque in locis contenti eſſe debemus, ſi rem eſſe doceamus, vt fit in principiis. Eſt autem primum & principium rem eſſe.

At ſi enunciatio manifeſta non fuerit, ſed dubia & incerta, vt infinitæ contentiones hominum & lites inter ſe, in quæſtionem conuertitur. Quæſtióque ipſa probatur & iudicatur argumentis ex inuẽtionis locis ductis, & diſpoſitis argumentatione, de qua deinceps agendum nobis eſt.

DE ARGVMENTATIONE.

Argumentatio eſt diſpoſitio argumenti cum quæſtione probanda.

Argumentatio ſi perfecta ſit, ſyllogiſmus: ſin autem imperfecta enthymema nominatur.

DE SYLLOGISMO.

SYllogiſmus igitur eſt argumentatio perfecta, qua quæſtio probanda cum argumento diſpoſita neceſſariò concluditur.

Si autem conſtet partibus neceſſariis & certis Apodicticus & Demonſtratiuus: ſi contingentibus & probabilibus, Dialecticus: ſi fallacibus & captioſis, Sophiſticus vulgò nuncupatur.

Syllogiſmi partes ſunt tres, propoſitio, aſſumptio, concluſio.

Propoſitio eſt prima pars ſyllogiſmi in qua argumentum cum parte conſequente quæſtionis probandæ tantùm, vel cum vtraque proponitur.

Aſſumptio eſt ſecunda pars ſyllogiſmi, vbi argumentum cum altera tantùm parte quæſtionis probandæ, è propoſitione aſſumitur.

Concluſio, tertia pars eſt ſyllogiſmi, quæ totam quæſtionem concludit.

Syllogiſmus eſt ſimplex aut cõpoſitus. Ille Categoricus, hic Hypotheticus vulgò appellatur.

Syllogiſmus ſimplex eſt in quo argumẽtum cum parte conſequente quæſtionis in propoſitione, & cum parte antecedente in aſſumptione diſponitur. Itaq; ſimplex dicitur ꝙ in eo argumentũ cũ partibus quæſtionis ſimpliciter & ſeparatim diſponatur.

Eſt autem affirmatus cum omnes eius partes affirmatæ ſunt, negatus verò cùm duæ partes negatæ ſunt. Eſtque communis aut proprius.

Syllogiſmus cõmunis eſt, cuius partes ſunt cõmunes. Eius plures ſunt modi, qui ad iuuandã iuuenum

memoriam certis vocabulis ſagaci induſtria à Dialecticis expreſſi ſunt, in quibus quatuor reperiuntur vocales, earum duæ A, & E, ſignificant ſyllogiſmi partem eſſe generalem, illa affirmatam, hæc verò negatam, reliquæ duæ I, & O, partem ſyllogiſmi eſſe ſpecialem, illa affirmatam, hæc verò negatam, vt per ſingulas ſyllogiſmi huius ſpecies ſeu formas intelligetur.

Formæ ſeu figuræ communis ſyllogiſmi ſunt tres.

Prima figura eſt in qua argumentum eſt antecedens propoſitionis & conſequens aſſumptionis. Omnéque genus quæſtionis coniunctæ affirmatæ & negatæ, generalis & ſpecialis per eam concluditur & iudicatur: Eius figuræ modi quatuor ſunt, his vocabulis effícti, Barbara, Celarent, Darij, Ferio.

Primus modus generalis affirmatus: vt

BAR—Omne iuſtum eſt vtile:

BA——Omne honeſtum eſt iuſtum:

RA——Omne igitur honeſtum eſt vtile.

Quod Cicero 2. Offic. ita concludit. Summa quidem authoritate Philoſophi ſeuerè ſanè atque honeſtè hæc tria genera confuſa, cogitatione diſtingunt: Quicquid enim iuſtum ſit, id etiam vtile eſſe cenſent: Itémque, quod honeſtum, idem iuſtum: Ex quo efficitur, vt quicquid honeſtum ſit, idē ſit vtile.

Secundus modus generalis propoſitione & concluſione negatus: vt,

CE——Nullus timidus eſt liber:

LA——Omnis auarus eſt timidus:

RENT—Itaque nullus auarus eſt liber.

Hoc ita concluditur & iudicatur ab Horatio 1. Epiſt. Sed concluſio primo loco ponitur, aſſumptio ſecundo, propoſitio vltimo:

Quo melior ſeruo, quo liberior ſit auarus,
In triuiis fixum cum ſe demittit ob aſſem,
Non video: Nam qui cupiet, metuet quoque: porrò
Qui metuens viuit, liber mihi non erit vnquam.

Tertius modus ſpecialis affirmatus & ſola propoſitione generalis, & è primo generali modo deducitur: vt,

DA—Omne iuſtum eſt vtile:

RI——Aliquod honeſtum eſt iuſtum:

I —— Aliquod igitur honeſtum eſt vtile.

Sed plerunque pro aſſumptione ſpeciali, propria ponitur: vt,

Omnis Philoſophus eſt ſtudioſus ſapientiæ:
Ariſtoteles eſt Philoſophus:
Ariſtoteles igitur eſt ſtudioſus ſapientiæ.

Quartus modus ſpecialis propoſitione & concluſione negatus, & è ſecundo generali modo deducitur: vt,

FE—Nullus timidus eſt liber:

RI—Aliquis auarus eſt timidus:

O——Aliquis igitur auarus non eſt liber.

Sed aſſumptio propria pro ſpeciali ſæpiſſimè ſtatuitur.: vt,

Nullum regnum ſcelere partum eſt diuturnum:
Philippi Macedonis regnum eſt ſcelere partum:
Non potuit igitur eſſe diuturnum.

Hic ſyllogiſmus eſt in ſecunda Olynthiaca à Demoſthene tractatus. Sed initio ponitur concluſio, deinde propoſitio mirificè illuſtratur & amplificatur ex adiunctis, & aliis pluribus argumentis, poſtremo loco aſſumptio eſt.

Secunda figura eſt in qua argumentum eſt conſequens propoſitionis & aſſumptionis. Et quæſtionẽ negatam tantum concludit. Eius formæ quatuor ſunt modi his vocabulis notati, Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco.

Primus modus generalis propoſitione & concluſione negatus: vt,

CE—Nullus turbatus ratione bene vtitur.
SA—Omnis ſapiens ratione bene vtitur.
RE—Nullus igitur ſapiens eſt turbatus.

Hoc iudicium ita fit à Cicerone 3. Tuſc. Sed propoſitio collatione illuſtratur: Et quemadmodum oculus conturbatus non eſt probè affectus ad ſuum munus fungendum: & reliquæ partes totúmque corpus à ſtatu cum eſt motum, deeſt officio ſuo ac muneri, ſic conturbatus animus non eſt probè affe- ad exequendum munus ſuum: munus autem animi, eſt ratione vti: Et ſapientis animus ita ſemper affectus eſt, vt ratione optimè vtatur: Nunquam igitur eſt perturbatus.

Secundus modus generalis aſſumptione & con-

cluſione negatus:vt,

CA—Omne bonum facit poſſeſſorẽ ſuũ meliorẽ:
MES—Nulla voluptas facit poſſeſſorẽ ſuũ meliorẽ:
TRES--Nulla igitur voluptas eſt bonum.

Hoc ita concluditur à Cicerone primo paradoxo: Quicquámne bonum eſt, quod non eum qui poſſidet, meliorem faciat? vt enim quiſque eſt maximè boni particeps, ita & laudabilis maximè. Neque eſt vllum bonum, de quo non is qui id habeat, honeſtè poſſit gloriari. Quid autem eſt horum in voluptate? meliorem ne efficit, aut laudabiliorem virum? An quiſquam in potiundis voluptatibus, gloria ſeſe & prędicatione effert? [Quare] voluptas quę plurimorum patrociniis defenditur in rebus bonis habenda non eſt.

Tertius modus ſpecialis propoſitione & concluſione negatus & generalis propoſitione ſola, & è primo generali modo deducitur: vt,

FES—Nullus turbatus ratione bene vtitur:
TI—Quidam ſapiens ratione bene vtitur:
NO—Quidam igitur ſapiens non eſt turbatus.

Nihil etiam intereſt pro ſpecialibus enunciatis propria ponere: vt,

Nullus tyrrannus Rempub. bene adminiſtrauit:
Auguſtus Rempub. bene adminiſtrauit:
Auguſtus igitur non fuit tyrrannus.

Quartus modus ſpecialis aſſumptione & concluſione negatus, ſola propoſitione generalis & è ſecundo generali modo deducitur: vt,

BA—Omne bonũ facit poſſeſſorẽ ſuũ meliorem:
RO-Quędã voluptas poſſeſſorẽ ſuũ meliorẽ nõ facit:
CO—Quædam igitur voluptas non eſt bonum.

Idem quoque efficies ſi pro ſpecialibus enunciatis propria ſumantur: Quomodo Chriſtus Iudæos ex Deo non eſſe concludit apud Matthæum:

Qui ex deo ſunt verba Dei audiunt:
Vos Iudæi verba Dei non auditis:
Vos igitur ex Deo *non eſtis.*

Tertia figura eſt in qua argumentum eſt antecedens propoſitionis & aſſumptionis. Generaliter autem nihil concludit. Eius figuræ modi ſunt ſex his dictionibus ſignificati, Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

Primus modus generalis affirmatus: vt,

DA—Omnis homo eſt rationis particeps:
RAP—Omnis homo eſt animal:
TI—Quoddã igitur animal eſt rõnis particeps.

Secundus modus generalis propoſitione & concluſione negatus: vt,

FE—Nulla virtus eſt fugienda:
LAP—Omnis virtus paratur labore,
TON—Quidam igitur labor non eſt fugiendus.

Tertius modus ſpecialis affirmatus, ſola aſſumptione generalis, & è primo generali modo deducitur, mutata propoſitione generali in ſpecialem: vt,

DI—Quidam homo eſt rationis particeps:
SA—Omnis homo eſt animal:
MIS—Quoddã igitur animal eſt rõnis particeps.

Quartus

Quartus modus ſpecialis affirmatus, generalis propoſitione ſola,& à primo quoque generali modo oritur, mutata aſſumptione generali in ſpecialem: vt,

DA--Omnis homo eſt rationis particeps:
TI—Quidam homo eſt animal:
SI—Quoddã igitur animal eſt rationis particeps:

Quintus modus ſpecialis propoſitione & concluſione negatus, generalis aſſumptione ſola, fitque è ſecundo generali modo,conuerſione propoſitionis generalis in ſpecialem: vt,

BO—Quædam virtus non eſt fugienda:
CAR—Omnis virtus eſt ardua:
DO—Quædam igitur ardua non ſunt fugienda.

Sextus modo ſpecialis propoſitione & concluſione negatus, propoſitione ſola generalis, & à ſecundo generali modo deſcendit, aſſumptione generali in ſpecialem mutata:vt,

FE—Nulla virtus eſt fugienda:
RI—Quædam virtus eſt cum labore:
SON—Ergo quidam labor non eſt fugiendus.

De Syllogiſmo Proprio.

Syllogiſmus Proprius eſt ſyllogiſmus ſimplex, cuius duæ ſaltem primæ partes ſunt propriæ. Species proprij ſyllogiſmi quemadmodum & communis ſunt tres. Prima figura proprij ſyllogiſmi imitatur primam communis,ſecunda ſecũdam, vt & tertia tertiam,in ſingulíſque figuris duo ſunt modi. Primę figurę igitur primus modus eſt affirmatus:vt,

Octauius eſt hæres Ceſaris:
Ego ſum Octauius:
Sum igitur hæres Cæſaris.

Secundus modus eſt propoſitione & concluſione negatus: vt,

Antonius non eſt filius Cæſaris:
Tu es Antonius:
Non es igitur filius Cæſaris.

Secundæ figuræ primus modus eſt propoſitione & concluſione negatus: vt,

Ageſilaus non eſt pictus ab Apelle:
Alexander eſt pictus ab Apelle:
Alexander igitur non eſt Ageſilaus.

Secundus modus eſt aſſumptione & concluſione negatus: vt,

Cæſar oppreſſit patriam:
Pompeius non oppreſſit patriam:
Pompeius igitur non eſt Cæſar.

Tertiæ figuræ primus modus eſt affirmatus: vt,

Cicero eſt Orator:
Cicero eſt Philoſophus:
Quidam igitur Philoſophus eſt Orator.

Secundus modus eſt propoſitione & concluſione negatus: vt,

Socrates non fuit auri cupidus:
Socrates fuit Philoſophus:
Aliquis igitur Philoſophus non eſt auri cupidus.

Hanc tertiam ſpeciem ſyllogiſmum Expoſitorium vulgò vocant. Atque hæc de ſyllogiſmo ſimplici.

De Syllogiſmo compoſito.

SYllogiſmus compoſitus eſt ſyllogiſmus vbi tota quæſtio eſt pars altera propoſitionis, argumẽtum pars reliqua. Itaque compoſitus dicitur quod in eo argumentum cum vtraque parte quæſtionis in propoſitione diſponatur.

Eſt autem connexus aut diſiunctus. Ille propriè, hic καταχρηστικῶς hypotheticus appellatur.

Syllogiſmus connexus eſt ſyllogiſmus compoſitus è propoſitione connexa ſeu conditionali. Eius duo ſunt modi vſitatiſſimi.

Primus modus eſt cum antecedens connexę propoſitionis pars aſſumitur, & conſequens concluditur. Quomodo Cic. iudicat & cõcludit 2. de Diuin.

Si Dij ſunt diuinatio eſt:
Sunt autem Dij:
Diuinatio eſt igitur:

Sic, *Si homo non eſt irrationalis, beſtia non eſt:*
Sed homo non eſt irrationalis:
Homo igitur beſtia non eſt.

Secundus modus connexus eſt cum aſſumitur contradictio conſequentis, & antecedentis contradictio concluditur: vt,

Si iuſtus eſſet, iuſtè faceret:
Sed non iuſtè facit:
Non igitur iuſtus eſt.

Sic Hippocrates lib. de Nat. humana argumentatur:

Si homo vnico elemento conſtaret, nunquam doleret:
Dolet autem:
Non igitur ex vnico elemento conſtat.

Sic. *Si agricultura non eſſet honeſta, non exerceretur à nobilibus viris:*
Sed à nobilibus viris exercetur:
Agricultura igitur eſt honeſta.

Syllogiſmus diſiunctus, eſt ſyllogiſmus compoſitus è propoſitione diſiŭcta: cuius duo modi ſunt.

Primus modus eſt cum diſiunctæ propoſitionis pars vnà aſſumitur, & reliquæ contradictio concluditur: vt,

Dies eſt aut nox eſt:
Sed dies eſt:
Nox igitur non eſt.

Eiuſmodi ſyllogiſmus efficitur è propoſitione quæ à Philopono, Ariſtotelis interprete, negata cō-plexio dicitur, ab aliis verò copulata negata: vt,

Non & dies eſt & nox eſt:
At dies eſt:
Nox igitur non eſt.

Secundus modus diſiunctus eſt cum aſſumitur contradictio partis vnius, & reliqua concluditur: vt,

Homo eſt animal rationale aut irrationale:
Non autem irrationale:
Rationale igitur.

In diſiuncta propoſitione ſi partes duabus plures ſint, vt vnà in concluſione retineatur, cæteræ omnes

in aſſumptione tolluntur: vt, Ariſtotel. 2. Ethic. c. 5.

Virtus eſt affectus, aut facultas, aut habitus:
Atqui non eſt affectus, nec facultas:
Eſt igitur habitus.

DE ENTHYMEMATE.

SEd de ſyllogiſmo quidem ſatis: nunc Enthymema breuiter perſtringamus. Enthymema eſt argumentatio ſiue ſyllogiſmus altera parte mutilus & imperfectus. Cum enim propoſitio, aut aſſumptio, aut concluſio clarior eſt, quàm vt exprimi debeat, harum partium aliqua ſæpe omittitur. Itaque vt ex omni ſyllogiſmo detractione partis alicuius enthymema fit, ſic viciſſim ex omni enthymemate adiunctione partis quæ fuerat omiſſa ſyllogiſmus perficitur: vt,

Omnis virtus eſt expetenda:
Ergò iuſtitia eſt expetenda.

Adde aſſumptionem, & ſyllogiſmus erit perfectus,

Iuſtitia eſt virtus.

Cicero in lib. de ſenectute propoſitionē ſic omittit: Senex nec quod ſperet, habet: At eſt eo meliore conditione, quàm adoleſcens, cùm id quod ille ſperat, hic aſſecutus ſit: ille vult diu viuere, hic diu vixit. Adde propoſitionem generalem & conclude:

Qui iā aſſecutus eſt, beatior eſt eo, qui ſe aſſecuturū ſperat:
At ſenex aſſecutus eſt longam vitā, quā adoleſcens ſperat:
Itaque ſenex beatior eſt adoleſcente.

Martialis lib. 1. concluſionem reliquit:

Amiſſum non flet, cum ſola eſt Gellia, patrem:

Siquis adeſt, iuſſæ proſiliunt lachrymæ:
Non luget quiſquis laudari, Gellia, quærit:
Ille dolet verè qui ſine teſte dolet.

Adiecta concluſione ſyllogiſmus talis erit

Verus luctus eſt occultus:
Luctus Gelliæ non eſt occultus:
Luctus igitur Gelliæ non eſt verus.

Sic cum diligenter & accuratè examinare & æſtimare volumus quæſtioně dubiã à quibuſuis authoribus tractatam, cuiúſque argumentationis partes duntaxat intellectæ cõplendæ ſunt, & ſyllogiſmus eſt abſoluendus. Ita enim certius de quæſtionis veritate iudicamus.

DE METHODO.

Adhuc duæ diſpoſitionis ſpecies ſunt expoſitæ, ſupereſt Methodus de tribus vltima. Methodus Logica eſt diſpoſitio multarum & variarum enunciationũ, vel argumentationũ ad vnũ aliquod thema explicandum ſpectantium. Sic Methodus plura cũ ſimplici quæſtione attributa, & plura cum probanda quęſtione argumenta collocat.

Methodus eſt ſcientiæ vel prudentiæ. Methodus ſcientię eſt qua naturâ priora abſolutéque clariora & notiora præponuntur. Itaque in hac generaliſſima primo loco & ordine ſtatuuntur, quia lumine & notitia prima ſunt: ſubalterna ſecundo loco conſequuntur, quia claritate ſunt proxima: Specialiſſima tandem poſtrema conſtituuntur. Hoc enim modo

proceditur ab antecedentibus omnino & abſolutè clarioribus & notioribus ad conſequentia obſcura & incognita declarandum,& illuſtrandum.Quamobrem diligenter obſeruandū eſt, vt thema de quo ſcientifica methodo diſputandum eſt,primum proponatur & generatim exponatur.Id enim eſt generaliſſimum:deinde vt diſputatio in certas partes diſtribuatur,id enim eſt ſubalternum:tum vt ſingulæ partes ſuo loco & ordine deinceps explicentur, donec ad vltimas & infimas peruentū ſit, id enim ſpecialiſſimum eſt.Preterea etiam requiritur vt non ſolum ordinem diſtributarum rerū conſeruemus,ſed ſingulis expoſitis breuiter admoneamus quæ dicta ſint,quæque dicenda ſup erent .his enim tranſitionū notis animus diſcentis recreatur & excitatur. Sic Cicero 2. de natura Deorum cum de Deo eſſe dicendum propoſuiſſet,ſuam diſputationem in partes quatuor diuidit: Omnino (inquit) diuidunt noſtri totam iſtam de Deo immortali quæſtionem in partes quatuor:primum docent eſſeDeum,deinde qualis ſit, tū mūdū ab eo adminiſtrari,poſtremò conſulere eum rebus humanis. Quas partes deinceps eo ordine exequitur:eáſque tranſitionum vinculis colligat.vt, Ac mihi videor ſatis & eſſe Deum & qualis eſſet oſtendiſſe: Proximum eſt vt doceam Dei prouidentia mundum adminiſtrari.Sic Plinius mundi ſeu naturæ hiſtoriam triginta ſeptem libris magnificè tractauit. In primis enim mundum generaliter deſcribit, deinde mundi partes ſimplices,

& communes ignem, aërem, aquam & terram non minus grauiter quàm luculenter ad librum ſeptimũ vſque explicauit. Tum omnia ex elementis compoſita & mixta corpora triginta ſequentibus libris cõprehendit, & ampliſſimè expoſuit, ſingulasque partes tranſitionibus connexuit. Sic Virgilius initio Georgicorum opus ſuum in quatuor partes diſtribuit in culturam aruorum, vitium, pecorum, apum:

Quid faciat lætas ſegetes, quo ſidere terram
Vertere, Mecœnas, vlmísque adiungere vites
Conueniat, quæ cura boum, quis cultus habendus
Sit pecori, atque apibus quanta experientia parcis,
Hinc canere incipiam.

Quas partes quatuor, deinceps totidem libris comprehendit, & exponit, ſingulóſque libros tranſitionibus copulat. Prima autem tranſitio, initio, lib. 2. adhibetur:

Hactenus aruorum cultus & ſidera cæli,
Nunc te Bacche canam.

Secunda initio lib. 3.

Te quoque magna Pales & te memorande canemus
Paſtor ab Amphryſo.

Altera initio lib. 4.

Protinus aërij mellis cęleſtia dona
Exequar.

Tandémque concludit & perorat circa finem lib.

Hæc ſuper aruorum cultu, pecorúmque canebam,
Et ſuper arboribus.

Atque ita in arte qualibet, in virtute, vitio, diuitiis, gloria,

gloria, pace, bello, vita, morte, in omníque ſimplici themate cũ pluribus attributis diſponendo, in omnibúſque omnino enunciationibus homogeneis collocandis, hæc methodus adhiberi poteſt. Sic cõpoſita quæſtio, quod anima ſit immortalis: Quod virtus ſit ſummum bonum, aut alia quælibet, vt hac methodo progrediatur, ipſa ab initio propoſita in certas probationes per quas confirmãda erit diſtribuenda eſt. Poſt ſingulæ res diſtributę ordine explicandæ, tranſitionúmque vinculis copulandę. Sic Cicero ſeptima Philippica, quum pacem cum Antonio ineundam non eſſe contenderet, hanc diſputationem in tres partes diſtribuit. Cur igitur (inquit) pacem cũ Antonio nolo? Quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt. quæ tria dum explico, peto à vobis P.C. vt eadem benignitate qua ſoletis verba mea audiatis. Tum ſingulas diuiſionis partes ordine perſecutus eſt, & his tranſitionibus vſus: Satis multa de turpitudine, dicam deinceps quod propoſui, de periculo. Et, Dixi de periculo, docebo ne coagmentari quidem poſſe pacem. De tribus enim quę propoſui, hoc extremum eſt. Atque ita hac methodo omnes quæſtiones dubię, cum pluribus argumentis, omnéſque omnino argumentationes quę ad vnum aliquod dubium thema demonſtrandum adhibentur collocandæ ſunt.

Oratores verò in proœmio, narratione, confirmatione, peroratione hũc ordinem affectant, éumque & artis & naturæ ordinem appellant, túmque

I

illum ſtudioſè affectantur cum in exordio rem de qua agitur ſummatim proponũt, in narratione planius explicant & definiunt,in cõfirmatione per partes exequuntur, in peroratione concludunt.

Methodus vero ſcientifica dicitur,quod ſit neceſſaria & catholica,ac certa in hac diſpoſitionis regula tradatur. Artificioſa vocatur quia arte traditur. Diſpoſitio naturalis quia ordine naturæ progreditur. à P. RAMO methodus doctrinæ appellatur.

Methodus prudentiæ eſt in qua res præcedunt non omnino & naturâ notiores, ſed ad rationem perſonarum, locorum, temporum, magis accommodatæ. Sic autem dicitur quod in hominis prudẽtia & opinione verſetur, nullamque certam & catholicam legem qua perpetuo vtatur habeat. Et quemadmodũ nauta qui rectum curſum tenere nõ poteſt velificationem mutat, & quibus velis poteſt ſaluam & incolumẽ nauem ad portũ deducit, ſic cum methodus artificioſa materiæ propoſitæ non conuenit, qua via & progreſſione Dialecticus poteſt, id eſt ſuo iudicio & prudentia ad explicationem materiæ propoſitæ progreditur.

EPILOGVS LOGICÆ.

HActenus Logicam in inuentione & diſpoſitione expoſui, rationémque cognoſcẽdi & explicandi thematis vtriuſque, per vtramque Logicę partem tradidi. Quẽadmodũ enim ex vnoquoque inuẽtionis loco attributũ ad rem ſubiectã declarandã,

& argumentum ad rẽ dubiam confirmãdam duceretur, & quemadmodum vnumquódque attributũ cum ſubiecto themate collocaretur enunciatione, plura verò enũciata diſponerẽtur methodo, & quẽadmodũ vnũquódq; argumentũ cũ q̃ſtione dubia diſponeretur argumẽtatione, plures verò argumẽtationes methodo ordinarẽtur explicaui. Deniq; Logicę virtutis imaginẽ breuiter ac ſuccinctè adũbraui, in qua tamẽ omnia rectæ rationis præcepta ad res omnes cognoſcendũ & docendũ depinxi, ſinguláq; præcepta exẽplis familiaribus ex probatis authoribus depromptis illuſtraui, omninóque artẽ naturæ conſentaneam deſcripſi, ac vſui imprimis cõuenientem. Nam cum duplex ſit omnino exercendę Logicæ via, vt rectè P. Ramus animaduertit, altera in aliorum diſputationibus & ſcriptis retexendis ad ea vel cognoſcenda vel alteri explicanda, quæ à Ramo ἀνάλυσις, reſolutio vocatur: altera in diſputando & ſcribendo de re qualibet, ad promptiſſimam diſſerendi facultatem comparandum, vel ad res propoſitas penitus animis mentibúſque noſtris mandandum, vel ad alios docendum, quæ à Ramo γένεσις καὶ σύνθεσις effectio & compoſitio appellatur: ad vtramque certè exercitationem, Logicam artem ita accommodatam inſtitui, eáque accuratam facilitate, vt quilibet illius obſeruatis præceptis per ſeipſum ſine doctore poſſit ſtudio diligentiáque adhibita & authores reſoluere, & quodlibet tandem tractare propoſitum.

In omnibus ſiquidem reſoluendis ſpectatorũ authorum ſcriptis, in primis thema cernet quod diſſerenti proponitur, ſimplêxne an compoſitum ſit. Si ſimplex fuerit attributa quibus tractatur notabit, num ſint cauſæ, effecta, ſubiecta, adiuncta, aliáque prima, an ex illis orta definitio & diuiſio: Tum ſingula enunciata excutiet, conſiderabítque ſimplicia ne an conditionalia ſint, affirmata an negata, cõmunia an propria, immediata, an mediata, atque diligẽter animaduertet vera ne an falſa ſint. In arte verò retexẽda prætereà an neceſſariò vera, homogenea, reciproca ſint nécne, accuratè obſeruabit. Poſtremo omniũ enunciatorũ ordinẽ perſpiciet, num ſcientiæ an prudentiæ methodo diſponãtur. At ſi thema cõpoſitũ ſit, argumẽta quibus probatur ſcrutabitur, & ad loci vnde ſumpta ſunt legẽ naturámque referet, omninóque an à cauſis, effectis, ſubiectis, adiunctis, aut ab aliis primis, aut aliũde ortis locis promantur diſtinguet, & an iuxta Topica axiomata ducãtur explorabit. Tum diligentiſſimè perpendet ſyllogiſmo ne perfecto, an enthymemate tantum ſingula argumenta cum quæſtione diſponantur, Si ſyllogiſmo an ſimplici vel cõpoſito, & qua figura, quoque figuræ modo, argumẽtationéſque omnes ad propoſitã regulam cõparabit, & num legitimæ ſint æſtimabit & põderabit. Ac ſi plures ſint methodicã illarũ collocationẽ intuebitur. Atque ita in omnibus authorũ excellentium operibus legendis & euoluendis, thematum, attributorũ, argumentorũ, enunciationũ,

cõcluſionum,methodorũ ſpecies,id eſt regulas Logicas deprehendet & annotabit. Hæc Logicæ Analyſeos ratio eſt. Syntheſeos vero fructum qui cõſequi volet,neceſſe eſt,vt Logicã artẽ iam cognitã exerceat, in inſignibus grauiũ authorũ exemplis artis Dialecticæ regulis congruenter & aptè conſtructis, imitandis.Et cum per Analyſin propoſiti ſibi ad imitandũ authoris virtutes cognouerit, quæſtio aliqua cõſimilis earũ rerum quę ab authore tractãtur proponetur:ſcribendoque primũ,tum etiã dicendo explicabitur quã maximè ad veritatẽ & ſimilitudinis expreſſionẽ accõmodatè, Ita enim inuẽtionẽ acuet, & cõfirmabit diſpoſitionis prudentiam. Deinde cũ pręſtãtes authores hac ſcriptionis dictioniſque diligentia diu multũque imitatus fuerit,imitatione dimiſſa quæſtionem liberam ſumet de rebus quibuſlibet,& induſtria propria explicabit.Omnem inuentionis & diſpoſitionis artem excitabit.Quęſtionem ſimplicẽ per omnes locos deducet, vt ex his omnia quę illi cõueniant attributa ſumantur, ſingula attributa cũ re ſubiecta cõponet, omniáque enunciata methodo collocabit.In quęſtione etiã cõiuncta tractanda nullũ intentatũ argumenti locũ relinquet,vt quæcũque ad propoſitã quęſtionẽ arguendã pertinere videb ũtur, eruãtur, argumẽtáque ipſa cũ quæſtione nõ vno,ſed vario argumentationis modo, omneſque argumentationes pro natura rerũ ſecũdũ artis aut prudentiæ methodum diſponet.

FINIS.

NICOLAI ABRAHAMI LOGICÆ INSTITVTIONIS ΑΙΤΙΟΛΟΓΙΑ.

Ad Lectorem.

QVoniam nudè & ſimpliciter artis Logicæ præcepta deſcripta ſunt (amice Lector) nũc cauſam cur ſingula ita ſint à me inſtituta, vt veritas eorum demonſtretur, afferam, reddámque rationem quamobrem P. Ramum potiſſimum ſequutus ſim, quædam tamen documenta adiecerim quæ ille omiſit, alia omiſerim quæ adiecit, alia aliter deſcripſerim quã deſcripſit, omninóque à Ramo nonnũquam ad Ariſtotelem vel Ariſtoteleos deſciuerim. In decretis autem Logicis eodem ordine quo ſunt in Τεχνολογίᾳ *conſtituta ſummatim percurrẽdis, ſi quæ aliquãdo enodationis indigentia occurrerint, perſpicuè explicabo, ſi quæ præter ea quæ tradita ſunt notatu digna fuerint, diligẽter adnotabo, vt nihil tãdem deſiderare poſſis ad bene diſcendum, docendúmque neceſſarium, quod à me prætermiſſum fuerit.*

De Logicæ definitione.

LOGICAM imprimis definiui facultatem benè cognoſcendi & docendi, quia vera Logicæ artis deſcriptio, naturalis rationis ſimilitudinem referre, ac propriis germaniſque coloribus exprimere debet, cum ratio naturalis verum ſit Logicæ artis exemplar. Nec aliud hîc ars ſit quàm naturæ imago & pictura, vt arte deſcribenda, nil niſi perfecta natura deſcribatur: Hæc autem Logicæ artis definitio rationis naturalis definitionem penitus exprimit. Ratio enim eſt vis animi omnibus hominibus inſita & innata, qua res omnes cognoſcunt, qua alios docent, qua vna rationales dicuntur, quaque homines ſunt, & a cęteris animantibus differunt, qua ſine magiſtris verum ſequuntur, falſumque fugiunt, & ſine arte faciunt quod artis regulis & præceptis docetur.

Deinde hanc definitionem conſtitui, quia ſummum finē Logicæ facultatis comprehendit. Ideo enim ratio naturalis a Deo Opt. Max. hominibus data eſt, vt res cognoſcere & alios docere poſſint. Ideo Logica ars ex vſu naturalis rationis obſeruata & collecta eſt, vt certius & conſtantius homines cognoſcere, & aliis explicare poſſint quod proponeretur. Ob eādem quoque cauſam apprimè omnibus literarum ſtudioſis eſt cognitu neceſſaria. quamuis enim ingenioſos homines literarum expertes ſæpe videamus natura duce multas res intelligere, vera argumenta texere, aliáque ex aliis ratiocinari, ac perſpicuè res ſibi cognitas explicare: attamen cum ipſi ſine arte ſępè aberrent, nec cauſas certitudinis ſuarum actionum teneant, melius tutiúſque eſt naturalem rationis vim arte ſeu doctrina & exercitatione confirmare, & perficere.

Tum Logicam benè cognoſcendi & docendi facultatem eſſe dixi, quia facit vt facilè poſſimus benè rem quamlibet cognoſcere & docere, vt per partes eius videre eſt. Tum enim rem ſimplicem benè cognoſcimus, cum eius attributa inuenimus, eáque cum re ſubiecta collocamus. Rectè item eandem rem aliis explicamus, cum eius attributa cum ipſa re ſubiecta collocata declaramus. Rem etiam dubiam facilè iudicamus veram aut falſam, cū eius argumenta intelligimus, eáque cum quæſtione diſponimus. Nec alia eſt eiuſdem rei demonſtrandæ alteri ratio.

Præter hæc etiam firmiſſima argumenta, quàmplurimis præſtantiſſimorum authorum teſtimoniis ad Logicā benè cognoſcendi & docendi facultate definiendam adductus ſum.

Socrates enim apud Platonem diſputans, cum Phædro, inquit: τούτων δὴ ἔγωγε αὐτός τε ἐραστὴς ὦ Φαῖδρε, τῶν διαιρέσεων, καὶ συναγωγῶν, ἵν' οἷός τε ὦ λέγειν τε καὶ φρονεῖν· ἐάν τέ τινα ἄλλον ἡγήσωμαι δυνατὸν εἰς ἓν καὶ ἐπὶ πολλὰ πεφυκότα ὁρᾶν, τοῦτον διώκω κατόπισθε μετ' ἴχνιον ὥστε θεοῖο. καὶ μέν τοι καὶ τοὺς δυναμένους αὐτὸ δρᾶν, εἰ μὲν ὀρθῶς ἢ μὴ προσαγορεύω, θεὸς οἶδε. καλῶ δὲ οὖν μέχρι τοῦδε Διαλεκτικούς. id eſt, Harum ego diuiſionum & collectionum ô Phædre, amator ipſe ſum, vt & dicere & cognoſcere valeam: ac ſi quem alium eſſe exiſtimo, qui & vnum & multa pro natura rerum perſpicere atque comprehendere poſſit, hunc ego ſanè à tergo ſequor, tanquam aliquem Deum. Eos autem qui id facere poſſunt, rectène an malè appellem Deus ipſe nouit: hactenus ſiquidem Dialecticos appello. Idē Socrates dialogo ſeptimo in Repub. Platonis cum Glaucone diſſerens, legem ſtatuit eſſe ferendam in Republica, qua iubeātur diſcentes eam potiſſimum diſciplinam capeſcere, ex qua ad interrogandum & reſpondendum, vt ſcientem decet, aptiſſimi ſint, quæ eſt Dialectica. Poſtremo aſſentiente Glaucone Dialecticam doctrinis omnibus velut apicem eſſe præpoſitam dicit, nec vllam doctrinam eminentiorem reperiri. Ariſtoteles quoque cap. 2. primi Topici affirmat Dialecticam eſſe vtilem πρὸς τρία, πρὸς γυμνασίαν, πρὸς τὰς ἐντεύξεις, πρὸς τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας, ad exercitationē, ad colloquia, ad philoſophicas artes & diſciplinas. ὅτι μὲν οὖν inquit πρὸς γυμνασίαν χρήσιμος, ἐξ αὐτῶν καταφανές ἐστι· μέθοδον γὰρ ἔχοντες, ῥᾷον περὶ τοῦ προτεθέντος ἐπιχειρεῖν δυνησόμεθα. πρὸς δὲ τὰς ἐντεύξεις, διότι τὰς τῶν πολλῶν κατηριθμημένοι δόξας, οὐκ ἐκ τῶν ἀλλοτρίων ἀλλ' ἐκ τῶν οἰκείων δογμάτων ὁμιλήσομεν πρὸς αὐτούς, μεταβιβάζοντες ὅ, τι ἂν μὴ καλῶς φαίνωνται λέγειν ἡμῖν. πρὸς δὲ, τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας, ὅτι δυνάμενοι πρὸς ἀμφότερα διαπορῆσαι, ῥᾷον ἐν ἑκάστοις κατοψόμεθα τ' ἀληθὲς τε καὶ τὸ ψεῦδος. ἔτι δὲ, πρὸς τὰ πρῶτα τῶν περὶ ἑκάστην ἐπιστήμην ἀρχῶν. Ad exercitationem enim eſſe vtilem hinc perſpici poteſt, quod ſi via & ratione inſtructi veniemus ad diſputandum, facilius de re propoſita diſſerere poterimus. Ad colloquia autē quod multorū enumeratis expenſiſque ſentētiis, non ex alienis & longè petitis, ſed propriis aptiſque locis ſermonem depromemus, quem cum ipſis cōferamus. Ita ſi quid minus præclarè nobis videbuntur dicere, id facilè refellemus. Ad philoſophicas autem diſciplinas, quod facultate in vtramque partem de re quáque diſputandi inſtructi, facilius in quáque re quid verùm ſit, quid falſum perſpiciemus. Et præterea ad prima omnium artium cognoſcenda principia vim maximam habeat. Atque ita Ariſtotele authore Dialectica facilè poterimus quod proponetur, & in ſcholaſticis diſputationibus

tionibus & exercitationibus & in colloquiis familiaribus explicare, & artiũ diſciplinarúmque theoremata percipere. Stoïci etiã (vt refert Diogenes Laërtius lib.7. de vita Philoſophorum) abſque Dialecticæ ſpeculatione, ſapientem dicunt in oratione ſine lapſu non futurum. Quippe ex illa dignoſci verum atque falſum, probabile item & quod ambiguè dicatur intelligi. Eáque remota non licere ritè interrogare, atque reſpondere: Sapientíſque eſſe, rectè loqui, rectéque cogitare, & de iis quæ proponuntur diſſerere, & ad ea quæ interrogantur reſpõdere, quæ ſint omnia viri Dialecticæ periti. Ideóque aſſerunt Dialecticum ſolùm eſſe ſapientem, omnéſque res per eam quę in verbis eſt ſpeculationem cerni, quæque ad naturam pertinent, & quæ rurſum ad mores Logicæ egere adminiculo. Craſſus item apud Ciceronem lib. de claris Orator. hæc Bruto interroganti reſpõdet: Sic enim Brute exiſtimo, iuris ciuilis magnum vſum, & apud Scæuolam & apud multos fuiſſe, artem in hoc vno: quod nunquam effeciſſet ipſius iuris ſcientia, niſi eam prætereà didiciſſet artem, quæ doceret rem vniuerſam diſtribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambigua primùm videre, dein diſtinguere. Poſtremò habere regulam qua vera & falſa iudicarentur, & quæ quibus propoſitis eſſent, quæq; non eſſent cõſequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quaſi lucem ad ea quæ cõfusè ab aliis aut reſpondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Rectè, inquam, intelligis. Sic Cicero lib.2. de Finibus bon & mal. Torquato colloquens, ait: Dum Dialecticam Torquate contemnit Epicurus, quæ vnà continet omnem & perſpiciendi quid in quáque re ſit ſcientiam, & iudicandi quale quídque ſit, hac ratione & via diſputandi ruit in dicendo, vt mihi quidem videtur, nec ea quæ dicit vlla vult arte diſtingui.

Sic Rodolphus Agricola lib 2. de inuent. illorum authorum ſentẽtiam comprobat. Ariſtoteles (inquit) quique poſt eum alii Dialectica inſtructi fuêre, facilè ſuis libris oſtendunt, quàm magnus ſit vſus eius, & quam tractandis omnibus rebus accommodatus: vtque ſine ea non ſolum ſingula de quibus in artium decurſu dubitaretur explicari nequirent, ſed ne artes quidem colligi poſſent & in hanc quàm acceperunt redigi formam. Hæc eſt illa ſcientia, quàm apud Ciceronem Craſſus neceſſariam formandis artibus putauit, quamque cupit eſſe in iureconſultis, quo non eſſent apud eos omnia actorũ ſimilia. Et alibi. Eſt enim inſtrumentũ tractãdarũ artiũ Dialectica, nec aliud nobis, quam viã docendi diſcendique præſcribit. Sic Philippus Melanchthõ lib.1. Dialect. Dialectica eſt ars ac via docendi. Hæc enim eſt propriè vis Dialecticæ. Porro omnis docendi via ac ratio conſiſtit in definiendo, diuidendo, & argumentando.

Sic Seuerinus Boërius comment. in Top. Ciceronis docet Logicam primum inſtitutam eſſe ad rectè cognoſcendum, & quod in rebus cognoſcendum, verúmque eſt, & quod in vita agendum eſt aut non agendum, atque adeò ad bene diſſerendum. Cum Philoſophia (inquit) maximis in rebus operam ſtudiúmque conſumat, cúmque & in naturalibus inſpectionem ſpeculationémque adhibeat, & in moralibus actionem, & ſic formare geſtiat mores, vt vera vitæ ratio perſuaſerit, euenire neceſſe eſt, vt ſecundum id quod ratio tenendum omittendúmve, faciendum quoque aut non faciendum eſſe decreuerit, vel iudicium conſtituatur, vel exercendæ vitæ dirigatur intentio. Erit igitur neceſſarium, vel in naturali ſpeculatione, vel in moralium actionum cogitatione, vt certa ratio vel quod in rebus ſpeculandũ eſt inueniat, vel quod in actũ viuẽdi, duci oporteat antè perpendat. Hæc autẽ ratio, niſi via quadã proceſſerit, ſæpe in multos neceſſe eſt labatur errores. Quod ne paſſim fieret, atque vt certis regulis tractatus inſiſteret, viſum eſt antiquæ Philoſophiæ ducibus, vt ipſarum ratiocinationum quibus aliquid inquirendum eſſet, naturam penitus antè diſcuterent: vt his purgatis atque compoſitis, vel in ſpeculatione veritatis, vel exercendis virtutibus vteremur. Hæc eſt igitur diſciplina, quaſi diſſerendi quædam magiſtra, quam Logicen veteres Peripatetici appellauerunt, quam Cicero definiens, diſſerendi diligentem rationem vocauit. Stoïci verò Dialecticam eam nuncupauerunt.

Sic Diuus Auguſtinus, diuinum flumen ingenij, apertiſſimè quod propoſitum eſt declarat in libro de ordine. Illo (inquit) modo perfecta diſpoſitáque Grammatica, admonita eſt ratio quærere hanc ipſam vim quæ pepererat artem. Nam definiendo, diſtribuendo, colligendo, non ſolùm digeſſerat Grammaticam, atque ordinauerat, verumetiam ab omni falſitatis irreptione defenderat. Quando ergo ratio ad alia fabricanda tranſiret, niſi ſua ipſa prius machinamenta diſtingueret, notaret, digereret, proderétque ipſam diſciplinam diſciplinarum, quam Dialecticam vocant? Hæc docet docere, hæc docet diſcere. In hac ſeipſam ratio ſibi demonſtrat, quæ ſcit, quid velit, quid valeat. Scit autem ſcire, vult ſola ſcientes facere: nec ſolùm vult, ſed etiam poteſt. Quare Platonis, Ariſtotelis, Stoïcorum, Ciceronis, Agricolæ, Melanchthonis, Boëtij, ac Diui Auguſtini teſtimoniis, Logica δυύαμις, eſt bene cognoſcẽdi & docendi. Confirmata autem & ratione & authoritate tradita à nobis Logicæ definitione, ſequitur vt quamobrem à vulgari definitione quam P. Ramus ſequutus eſt receſſerim, dicendum ſit.

Quanuis enim Dialectica non modo à recentioribus pleriſque, ſed etiam à Cicerone ars bene diſſerendi definita ſit, tamen tribus de cauſis, hæc minus mihi probatur definitio. Prima quod omnem Logicæ vſum non comprehendat. Cum enim Logica duplicem habeat vſum, vt iam demonſtrauimus, alterum in cognoſcendo, alterum in docendo quod propoſitum eſt: hæc definitio docendi duntaxat non cognoſcendi vim, quæ prima ac potiſſima eſt, exprimit. Secunda cauſa quod diſſerendi verbum ſit Metaphoricum. Quanuis enim diſſerere cum apud alios authores, tum imprimis apud Ciceronem idem valeat quod docere, ab illis tamen per Metaphoram vſurpatur, ſumpta Metaphora ab olitoribus, vt Varro admonet: quia quemadmodum olitor diuerſa ſemina in diuerſas areas ſerit, atque ita diſſerit, id eſt hac illac ſerit: ita qui docet, diuerſas quæſtiones diuerſis locis proponit & explicat, vnamquamque videlicet ſuo loco.

Tertia ratio quod ne Metaphora quidem omnes Dialecticæ partes, ſed vnam tantum eius particulam, videlicet methodum notet, vt ex tropi declaratione quæ poſita eſt conſtat. Methodi enim eſt, ſingula ſuis locis docere: non autem diuerſa vnum in locum confundere: vt nec olitor diuerſa ſemina in vnam aream confundit: ſed ſingula ſuis iu areis ſerit. Ac propter has quidem cauſas, quam Logicæ conſtitui definitionem vulgari anteponendam cenſeo. Porrò inter Logicam & Dialecticam diſcrimen reuera nullum eſt, quanuis Ariſtotelei reclament. Imò vtroque vocabulo vtitur Ariſtoteles modo ad ſignificandum totam rationis vim, modo ad rationem de quæſtione dubia in vtramque partem diſputandi probabiliter. Generaliter enim διαλεκτικὴ, item διαλεκτικὴ ἰσχύς. Dialectica facultas 6. 5. & 4.13. Phil. dicitur: & τὰ διαλεκτικὰ pro toto Logico opere ſępè nominatur in Rhetoricis 2.1.& 22. &.24.2. Sic Logicæ nomen ſumi poſſit, cum hac generali ſignificatione homo definiatur, ζῷον λογικὸν animal rationale, ſic & διαλέγεσθαι καὶ λογίζεσθαι, multis in organo Logico locis cômuniter vſurpantur. At eadem Dialecticæ & Logicæ vocabula in organo Logico 20.& 18.1.& 8.2.poſt.5.8 Top.1.5.Top.10.2. de ortu animal. ſpeciem probabilitatis frequentiſſimè ſignificant: ſic propoſitio Dialectica & ſyllogiſmus Dialecticus dicitur: ſic λογικὰ & λογικῶς, & λόγικος συλλογισμὸς, ſic λογικὸς λόγος, Logica diſputatio, ſic πρόβλημα λογικὸν appellatur, & demonſtratio Logica ita definitur. In Ethicis etiam 1.6. facultas animi λογικὴ rationalis generaliter ſumpta diuiditur in duas partes, in vim ἐπιστημονικὴν, ſcientificam. ἡ θεωροῦμεν τὰ τοιαῦτα τῶν ὄντων, ὧν αἱ ἀρχαὶ μὴ ἐνδέχονται ἄλλως ἔχειν, qua res contemplamur eas, quarum principia ſecus euenire non poſſunt, & in facultatem βουλευτικὴν

conſultatricem, ἢ τὰ ἐνδεχόμενα, qua eas quæ poſſunt. quæ poſterior facultas ibidem λογιστικὴ ſpecialiter appellatur. τὸ γὰρ inquit, βουλεύεσθαι καὶ λογίζεσθαι ταὐτόν. Nam conſultare & ratiocinari idem valent. Quare nomen Logicæ & Dialecticæ indifferenter ab Ariſtotele vſurpatur, vel pro tota rationis facultate, vel pro diſputatione probabili. Nos verò vtroque vocabulo generaliter ſemper vtimur ad ſignificandum artem de qualibet quæſtione compoſita & neceſſaria & probabili ratione differendi, ac præterea de ſimplici quæſtione diſputandi, & de dubio themate iudicandi, & ſubiectum quoduis cognoſcendi: quia ars ratiocinandi tam latè patere debet, quàm latè patet vſus humanæ rationis. Deinde quod hæc vnà eadémque ars ad quæſtiones omnes ratione cognoſcendas & tractandas pertineat. Poſtremò quia vtrumque nomen ἀπὸ τοῦ λόγου deriuatur: vtque λογίσασθαι ſic & διαλέγεσθαι λόγῳ χρῆσθαι ſignificat. Vt ex Platone manifeſtum eſt, cum Socrates in Alcibiade primo ita diſputat: τὸ δὲ διαλέγεσθαι καὶ τῷ λόγῳ χρῆσθαι ταὐτὸν που καλεῖς: Ἀλκιβ. πάνυ γε. ratiocinari & ratione vti nonne idem vocas? Alcib. ſanè quidem. Sed quia Ariſtotelei ad totam rationis vim ſignificandum Logicæ vocabulum potius vſurpant, quam Dialecticæ, illud ipſum à nobis etiam frequentius vſurpatur. Illud autem diligenter notandum eſt, quãuis λόγος nomẽ apud Græcos modo rationem, modo orationem & ſermonem ſignificet, vnde Grammatica & Rhetorica aliquando à ſermone artes Logicæ appellantur. Et verbum διαλέγεσθαι alias ratiocinari, alias colloqui, vt nomina inde ducta arguunt, διάλογος colloquium, & διάλεκτος ſermonis proprietas: illud tamen rationẽ, hoc vero ratiocinari, ſemper ſignificare, quoties de ea quàm tractamus facultate dicuntur. Vt enim Grammatica circa orationem puram, & Rhetorica circa ornatam verſatur: ſic Logica circa rationem verſatur. Et licet ſine oratione ratio exprimi non poſſit: tamen oratio à ratione tantùm differt, quantum à rebus verba differunt. Rationis autem eſt cognoſcere & docere: ſermonis verò Latini, aut Græci, aut alterius intelligere & loqui Latinè, aut Græcè, aut aliter. Itaque etiamſi Philoſophiam idiomate Latino ſcriptam cognoſcere non poſſumus, niſi ſermonem Latinũ intelligamus, nec etiam illam Latinè docere valemus, niſi loquamur Latinè (vnde non raró authores verba loquendi, dicendi, & alia id genus pro docẽdi verbo προπικῶς vſurpant) aliud tamẽ eſt cognoſcere & docere, aliud ſermonem intelligere & loqui, cum illa rebus, hæc verbis: illa ratione, hæc oratione: illa mente hæc lingua, fiant. Vnde intelligitur Logicam propriè à nobis facultatem benè cognoſcendi & docendi eſſe definitam: nec definitionem hanc Grammaticæ, nec Rhetoricæ, multóque minus alteri

arti conuenire poſſe.

De Quæſtione.

POſt Logicæ definitionem, ſubiectum circa quod Logica exercetur declaraui, quod quæſtio & thema appellatur. Quæſtio igitur eſt res ad cognoſcendum aut docendum propoſita. Itaque quæſtio μετωνυμικῶς pro re de qua quæritur dicitur. Thema autem proprius quod Dialectico proponitur exprimit. Latinè enim poſitum ſignificat. Thematis autem duo genera conſtitui, vnum ſimplex, cum vnica res eſt propoſita: alterum compoſitum cum rerum duarum inter ſe coniunctio propoſita eſt. Hanc quæſtionis diuiſionem veram eſſe & in Dialectica neceſſario tradendam vehementer contendo, quanuis P. Ramus in primis animad. Ariſtotel. cõtra Ariſtotelem & Ariſtoteleos quæſtionis diſtributionem quæcúnque ſit in Dialectica inutilem eſſe, omnibus ſuis neruis diſputet. Omnis enim res de qua inſtituitur diſputatio aut ſimplex & vnica eſt, aut coniuncta. Aliáque omnino ratio quærendi eſt, qua quæritur de natura rei ſimpliciter: alia qua de duarum rerum inter ſe Logicè per affirmationẽ ſcilicet aut negationem coniunctarum, hoc eſt de enunciati veritate. Vnde ad quæſtionem ſimplicem nec ita, nec Non reſponderi poteſt, vt Quid eſt Grammatica? Quot ſunt partes Grammaticæ? Ad quæſtionem vero coniunctam, Ita, vel non reſponderi poteſt, vt, Eſtne Grammatica ars benè loquendi? Ita. Eſtne Grammatica ars benè canendi? Non. Alia etiam quæſtionis ſimplicis, alia quæſtionis coniunctæ explicandæ ratio eſt. Simplex enim quæſtio, vt docuimus, tractatur attributis & enunciatis, Coniuncta vero argumentis & argumentationibus. Itaque (vt inquit Ioannes Piſcator Argentinenſis, qui in P. Rami Dialecticã animaduertit) quemadmodum in Muſica cantus (qui Muſicæ ſubiectũ eſt) in mollẽ ac durũ diuiditur quia vtriuſque canẽdi nõ eadẽ ratio eſt: ſic diſtinctio quæſtionis in ſimplicẽ & cõpoſitam in Dialectica vtilis ac neceſſaria eſſe videtur, cum vtriuſque quæſtionis explicandæ nõ eadẽ ſit ratio. Preterea quæſtionis diuiſio in ſimplicem & compoſitam, cum naturalis rationis vſu congruit. Nam vt inquit Ariſtoteles cap. 6. lib 3. de anima, Intellectus functio duplex eſt, altera quæ verſatur circa ſimplicia, in quibus neque veritas neque falſitas ineſt, altera quæ circa compoſita in quibus verũ aut falſum cernitur. quoniam mens primum ſingulas rei cognoſcendæ notiones ſimplices comprehendit, deinde ipſas cum re intelligenda coniungit & copulat, in qua coniunctione ſemper verum aut falſum perſpicitur. Propoſita quoque quæſtionis diſtributio ab Ariſtotele quodã modo tradita eſt: ſed à Melanchthone, Riuio, aliiſque

nonnullis authoribus multo clarius & planius eſt explicata.

De Notionibus quibus quæſtio cognoſcitur & explicatur.

RAtiones quæ ad cognoſcendum explicandúmve thema adhibētur, duplices eſſe dixi, quia duplicia themata ſunt. Etſi enim eædē ſunt reipſa: tamē ratione vſus, adeóque nomine differunt. Quatenus ſiquidē adhibētur ad ſimplex thema cognoſcēdū declarandūve; attributa & prædicata appellantur. Quatenus vero adhibentur ad thema dubium cognoſcendū demonſtrandúmve nominātur argumēta. Quomodo & Cicero argumentum definiuit rationem quæ rei dubiæ faciat fidem. Vnde etiam argumentum Ariſtoteli πίςις id eſt fides, per metonymiam effecti dicitur. Et frequentiſſimè μέσον id eſt mediū quod velut intermedium diſponatur cum partibus quæſtionis in ſyllogiſmo ad concludendū dubiam quæſtionē. Hanc autem duplicē thematis explicandi rationem Rodolphus Agricola lib. 1. de inuent. his verbis expreſſit. Docendi ratio eſt duplex, per expoſitionem & per argumentationem. Expoſitio eſt oratio quæ ſolum dicentis mētem explicat, nullo quo fides audienti fiat adhibito. Argumentatio eſt qua quis rei de qua dicit, fidem facere conatur. Illa nuda rerum expoſitione conſtat, quia credentem habet auditorem, & ſponte ſua ſequentem. Hæc veluti luce quadam indiget, qua illata peruincatur aduerſarius & dubiæ rei, cui ex ſe fides conſtate nō poteſt aſſentire cogatur. Nuperrimè autem Ioannes Piſcator in animaduerſ. Rameis duplicem hāc quæſtionis explicationē aliis vocabulis diſtinxit. Quum duo ſint (inquit) quæſtionis genera, ſimplex & compoſita: duo etiam ſint neceſſe eſt genera explicationis. Ea ſunt declaratio & demonſtratio. Declaratio eſt explicatio quæſtionis ſimplicis: demonſtratio eſt explicatio quæſtionis coniunctæ. Poſtea ait ſi vocabula nouare ac fingere auderet, quod Dialecticam definiret artem docendi, & quod ad docendum adhibetur, generali nomine vocaret documentum, duóque documenti conſtitueret genera: alterum, ad explicandum quæſtionem ſimplicē, quod appellaret declaramētum: alterum ad explicandum quæſtionem coniunctam, quod argumentum nuncuparet. Sed quoniam documenti vocabulum hîc nouatum eſt, declaramenti omnino nouum & analogum deliramenti (vt ipſemet fatetur) hæc vocabula vſurpare nō eſt auſus. Ego verò propriis, tritis & vſitatis nominibus rationem & notionem appellaui quod ad docēdum adhibetur, Notionem verò qua thema ſimplex declaratur, attributum & prædicatum vocaui. Eſt enim attributūquod ſubiecto attribuitur ad eius naturam declarandam. Omnéque ſubiectum thema prædicatis & categorematis cognoſcitur, & illuſtratur. Nam

vt ait Cicero in Tuſc. Res quæ dicuntur de quodam κατηγορήματα Dialectici appellant, vt auere diuitias, cupere honores, vnumquodque autem ſubiectum explicatur rebus quæ de illo dicuntur. Argumentum verò vſurpari tantum pro ratione quæ adhibetur ad dubii thematis veritatem demonſtrandam. Nam apud probatiſſimos linguæ Latinæ authores argumentum quoties docendi inſtrumentum notat, ſemper ad quæſtionem coniunctam ſyllogiſmo demonſtrandam refertur. Itaque P. Ramus nouè & impropriè vtitur argumenti nomine, cum ſimplices notiones quę rei declarandæ tribuuntur argumenta vocat. Nec enim arguere rei ſimplicis naturam declarare ſignificat, ſed ſententiæ dubiæ veritatem demonſtrare. Prętereа ſi attributum quod ſubiecto themati illuſtrando attribuitur propriè argumentum appellaretur, enunciatio eſſet argumentatio, quia enunciatio eſt collocatio attributi cũ ſubiecto. Argumentatio verò nihil aliud eſt, quàm argumenti cum quæſtione diſpoſitio. Quare argumẽti vocabulum impropriè adhibetur ad ſignificandum rationem qua ſubiectum ſimplex nudè & abſque ſyllogiſmo declaratur. Sed longe etiam improprius ad ipſum ſignificandum ſubiectum thema adhibetur. Quod tamen P. Ramo placet, vtrumque enim enunciationis terminum, ſiue partem, argumentum appellat, vt in hac enunciatione (homo eſt animal) duo argumenta eſſe vult: cum tamen homo ſit ſubiectum thema, animal verò attributum quod homini attribuitur ad eius declarandam eſſentiam. Itaque etiamſi Ramo concedam attributum poſſe καταχρηστικῶς argumẽtum dici, contendam tamen ab illo inuita rei natura, & vi ſignificationum, atque vſu repugnante argumentum pro ſubiecto themate vſurpari. Quid enim? Argumẽtum ab illo ipſo definitur, quod aliquid arguit. Ergo quod arguitur argumentum non eſt.

De Logicæ partibus.

Dialecticam cum P. Ramo in inuentionem & diſpoſitionem ſeu iudicium diſtribui, quia hæc Dialecticæ artis partitio, cum partitione naturalis vſus congruit, ſpectatorúmque authorum, Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Quintiliani, Agricolæ & Melanchthonis approbatur teſtimoniis. Ad ſimplex enim & ſubiectum thema cognoſcendum vel docendum inuenienda primũ quæ illi attribuuntur, deinde illa ſunt collocanda. Ad dubium item propoſitum demonſtrandum vel iudicandum argumenta inuenienda ſunt tum illa cum quæſtione diſponenda. Itaque cum duo hæc inuenire, & diſponere, ex diſpoſitionéque iudicare, rationis humanæ muneta ſint, & tertiũ prætereа in diſſerendo nullũ ſit: Dialecticæ quę vim & vſum humanę

rationis artificioſè deſcribit, duæ ſunt partes, inuentio & diſpoſitio. Eſtque diſpoſitione naturâ prior inuentio, quia nemo diſponere poteſt, niſi prius inuenerit, & inuentio ſuppeditat materiam diſpoſitioni. Socrates in Phædro Platonis dum examinat orationem Lyſiæ, in hanc bipartitam diuiſionem incidit: καὶ τῶν μὲν τοιούτων, οὐ τὴν εὕρεσιν, ἀλλὰ τὴν διάθεσιν ἐπαινετέον· τῶν δὲ μὴ ἀναγκαίων τε καὶ χαλεπῶν εὑρεῖν πρὸς τῇ διαθέσει, καὶ τὴν εὕρεσιν. Atque eiuſmodi rerum nō inuentio, ſed diſpoſitio laudanda eſt: neceſſariarū verò & inuentu difficilium non ſolùm diſpoſitio, ſed inuentio laudanda eſt. Deinceps Socrates definitionem & diuiſionē, quæ ſunt membra inuentionis, & vniuerſæ diſputationis collocationēm non ſolùm effert laudibus, ſed eiuſmodi facultatem Rhetoricæ detrahens, Dialecticæ totam eſſe confirmat: & eos qui id rectè facere & præſtare poſſunt, Dialecticos appellat. Sic Ariſtoteles totam Logicam inuentione, & inuentionis compoſitione & æſtimatione comprehendit, lib. 1. prior. Analyt. c. 33. εἰ γὰρ τὴν γένεσιν τῶν συλλογισμῶν θεωροῖμεν, καὶ τοῦ εὑρίσκειν ἔχοιμεν δύναμιν· ἔτι δὲ τοὺς γεγενημένους ἀναλύοιμεν εἰς τὰ προειρημένα σχήματα, τέλος ἂν ἔχοι ἡ ἐξ ἀρχῆς ὑπόθεσις. Nā ſi cōpoſitionē ſyllogiſmorum inſpexerimus, & habeamus inueniendi facultatē: tum verò compoſitos in propoſitas formas retexamus: propoſita primum hypotheſis ad finem peruenerit. Eſt octaui Topici cap. 1. δεῖ δὲ πρῶτον μὲν ἐρωτᾶν μέλλοντα, τὸν τόπον εὑρεῖν, ὅθεν ἐπιχειρητέον· δεύτερον δὲ ἐρωτηματίσαι καὶ τάξαι καθ᾽ ἕκαστα πρὸς ἑαυτόν· τὸ δὲ λοιπὸν καὶ τρίτον, εἰπεῖν ἤδη ταῦτα πρὸς ἕτερον. Neceſſe verò eſt imprimis eum qui ſit interrogaturus, locum perſpexiſſe vnde argumentetur: ſecundo autem interrogare & ordinare apud ſeipſum ſingula: reliquum ac tertium, hæc apud alterum iam eloqui. Et in Rhetoricis ad Theodectem cap. 1. lib. 3. τρία ἐστὶν ἃ δεῖ πραγματευθῆναι περὶ τὸν λόγον, ἓν μὲν ἐκ τίνων αἱ πίστεις ἔσονται· δεύτερον δὲ περὶ τὴν λέξιν· τρίτον δὲ, πῶς δεῖ τάξαι τὰ μέρη τοῦ λόγου. Tria ſunt in oratione conſideranda, vnum quidem vnde probationes ducantur: ſecundum verſatur in elocutione: tertium quomodo partes orationis ſint collocādæ. Atque eodem capite ait de his partibus duas ſolas ad docendum neceſſarias eſſe, πίστιν καὶ τάξιν, probationem & collocationem: elocutionem verò & eius comitem actionem, διὰ τὴν τοῦ ἀκροατοῦ μοχθηρίαν, id eſt propter auditoris improbitatem acceſſiſſe. Sic in Topicis Cicero, Cum omnis diligens differendi ratio duas habeat partes, vnam inueniendi, alteram iudicandi, vtriúſque princeps, vt mihi quidem videtur, Ariſtoteles fuit. Et lib. 2. de Finib. bon. & mal. Cum duæ ſint partes, quibus perfectè ratio & oratio compleatur, vna inueniendi, altera diſſerendi, hanc poſteriorem & Stoïci & Peripatetici priorem authorem illi egregiè

illi egregiè tradiderũt, hi ne attigerunt quidem. Nam è quibus locis quaſi theſauris argumenta depromerentur, veſtri ne ſuſpicati quidem ſunt: ſuperiores autem artificio & via tradiderunt. Idem profitetur Quintilianus lib. 5. de Dialecticis, Qui ſibi (ait) & inueniendi & iudicandi vendicent partes, quarum alteram τοπικὴν, alteram κριτικὴν vocant. Eodem tendit Rodolphus Agricola initio lib. 1. de inuen. Cùm alij (inquit) natura perſpicatiores ſint ad inueniendum argumentum, & alij tardiores, magno vſui ars tradita eſt à prudentibus hominibus, quæ expeditam nobis inueniendi viam aperiat, nec ſolùm oſtendat quomodo ex quæſtione eruendum ſit argumentum: ſed etiam, quæ altera pars Dialecticæ, quomodo iudicandũ ſit, hoc eſt aptandum propoſitio: & in diſſerendo cum eodem connectendum. Priorem inueniendi partem vocant, poſteriorem iudicandi. Et Philippus Melanchthon li. 4. Dialect. Prima in diſſerendo cura eſt inueniendarum rerum: de qua in Topicis præcepta traduntur: altera cura eſt rerum diſponendarum, & iudicandi quomodo inuenta cohæreant atque conſentiant, ad quam altera pars Dialecticæ pertinet. Quare authorum iſtorum teſtimoniis inuentio, & diſpoſitio, Dialecticæ partes erunt.

De *Inuentione.*

INuentionem Topicam definiui Logicæ partem quæ locos explicaret, è quibus attributa & argumẽta ducũtur, quia Cicerone in Topicis teſte, vt earum rerum, quæ abſconditæ ſunt demonſtrato & notato loco facilis inuẽtio eſt, ſic cùm perueſtigare argumẽtum aliquod volumus, locos noſſe debemus: Sicque appellatæ ab Ariſtotele ſunt hæ quaſi ſedes è quibus promuntur argumenta. Et quoniã ex inuentionis locis ſumuntur non modo argumenta ad dubium thema confirmandum, ſed & notiones quibus ſimplex ſubiectum cognoſcitur & declaratur, quæ nõ argumẽta niſi κατηγορικῶς nominari poſsũt, attributa autem propriè dicuntur: attributa ſicut & argumẽta ex Topicis locis depromi diximus. Itaque licet definire locos eſſe attributorum, & argumentorum ſedes. Si quis autem malit argumenti nomine attributum complecti, vt cum veteribus, locus tantùm definiatur argumenti ſedes, non valde repugno, modo duplex argumentum diſtinguat, alterum propriè dictum, quo rei dubiæ fides fit, alterũ impropriè ſic appellatum, quo rei ſimplicis & vnicę natura & notio explicatur, quod propriè attributum eſt. Definita inuentione Topica ex ſubiectis ſibi locis, Topicos locos ordine deſcripſi, ac duplicem loci cuiúſque vſum eſſe docui, prout eſt duplex quæſtio, alterum ad ſimplicem quæſtionem illuſtrandam, alterum ad coniunctam quæſtionẽ probandã. Ac vtrũque quidẽ vſũ diſtinctis ac propriis attributi & ar-

L

gumenti nominibus vbique diſtinxi. Præterea ex loci cuiuſque definitione declaraui quomodo à quoque loco attributum ad ſimplex ſubiectum explicandum ſumeretur vt exempli gratia: Quis mundum cõdidit? Conditus eſt à Deo. Hîc attributum quo quæſtio explicatur, ſumitur à loco efficientis, quia efficiens definita eſt cauſa à qua res fit. Addidi item vnicuique loco regulas, quas alii vocant maximas, alii axiomata quæ docent quomodo argumentum eruendum ſit ad arguendũ quod proponeretur, quia apprimè eſſent ſtudioſis vtiles ac cognitu neceſſariæ, ad benè locis topicis vtendum, non abutendũ. Adhæc ſingulos locos pluribus perſpicuis, & inſignibus ex probatis authoribus deſumptis exemplis, vtriuſque vſus illuſtraui, omninóque topicam inuentionem ad duplicẽ vſum accommodatã tradidi, ad inueniendum & attributum ſimplicis ſubiecti declarandi cauſa, & argumentũ dubii propoſiti demonſtrandi gratia. Itaque in deſcribẽdis Topicis à P. Rami dogmate plurimũ receſſi, Ramus enim inuẽtionẽ quę ἀπὸ τῶν τόπων id eſt à locis τοπικὴ dicitur nulla loci mẽtione facta, definiuit alias Dialecticæ partem quæ argumentum & argumenti partes explicat, alias Dialecticę partem de inueniendis argumentis. Dein topicos locos ſub argumenti nomine tradidit. At hoc inter locum & argumentum intereſt, quod inter artem & aliquid arte deſcriptum. Locus enim eſt præceptum de argumento: argumentum verò ipſa eſt ratio quæ adhibetur ad explicandam quæſtionem. Vnde cum omnes locos id eſt omnia inuentionis topicæ præcepta noueris, non inueniſti protinus quæ ad propoſitam quæſtionem explicandam adhibenda ſunt argumenta, ſed præceptis illis tanquam cõſiliis cognoſcis vnde & quomodo ſint inuenienda: vt ſi ad medicum accedas, hic morbi genere cognito, remedia tibi definiet, quæ tu per te aut alium inuenias & adhibeas neceſſe eſt: non inuẽta ab illo accipias: ſic Dialecticus hac in parte tanquam medicus videlicet docebit te ad cognoſcendum aut docendum quod propoſitum eſt, argumẽta ex cauſis, effectis, ſubiectis, adiunctis, diſſentaneis, comparatis, definitionibus, diſtributionibus, teſtimoniis eſſe quærenda, quáque ratione ex his locis ſint inuenienda declarabit: inuenta hæc ipſa non ſuppeditabit. Tum argumenti quod Ramus μετωνυμικῶς pro loco vnde inuenitur argumentum vſurpauit duplicem vſum, alium in declarãda quęſtione ſimplici, aliũ in demõſtrãda cõiũcta nõ diſtinxit. Pręterea axiomata quæ ad rectè ex locis argumentum eruendũ Melanchthon, cæteríque Dialectici ita neceſſaria eſſe putant, vt diligenter mandari memoriæ illa debeant, ex Topico agro eradicauit, adhibuítque quàm rariſſimè in explicandis ſuis argumẽtis, vtriuſque vſus exempla. Atque his quidẽ de cauſis Ioannes Piſcator in epiſt. ad Gul.

Tempel. grauiter in P. Ramum animaduertit, ſicque Gulielmo Tẽpello Cantabrigienſi duplicem argumenti vſum cognitum & exploratum Ramo fuiſſe contendenti reſpondet: Duplicem argumenti vſum P. Ramo planè incognitum fuiſſe non ſentio: ſed tamen nec diſtinctis appellationibus ab eo explicatum, nec in exemplis inuentionis diſtinctè & quantum ſatis erat, proponendis obſeruatum eſſe conqueror. Id quod vno atque altero exẽplo demonſtrare nõ grauabor. In capite de materia, item de forma, item de effectis nullũ ponitur exemplum demonſtrationis. Iam exempla declarationis ac demonſtrationis non eſſe diſtinctè propoſita, paſſim animaduertere licet. In prima diſtinctione efficientis, primum ponitur exemplum argumentationis ex Ouidio, fuge otium: & effugeris amorem. Secundũ exẽplũ ex Virgilio de parẽtibus Æneæ, cõtinet quidẽ illud argumẽtationis concluſionem: ſed quæ procedit ab effectis: Æneas nõ miſeretur amantis Didonis, hoſpitæ beneficentiſſimæ: Ergo non eſt natus matre Venere & patre Anchiſe. Quatenus verò iſtud exemplũ huc pertinet, declarationem continet quæſtionis ſimplicis qua quæritur, Quibus parentibus ortus ſit Æneas. At declarationis exempla videntur exemplis demonſtrationis præponenda, tanquam priora τῇ φύσει, quippe queadmodũ ſe habet enunciatũ ad ſyllogiſmũ: ita ſe habet declaratio ad demonſtrationem. Mihi certè confuſio iſta probari non poteſt, qua diuerſarum actionum vocabula, declaratio nimirum & demonſtratio, promiſcuè & tanquam ſynonima vſurpantur. Quemadmodum Talæus illud Virgilianum exponit, *Degeneres animos timor arguit*, id eſt oſtendit, declarat. At inquam, *declarare* non eſt idem quod *oſtendere* ſeu *demonſtrare* ſeu denique *probare*. Hoc enim non niſi ſyllogiſmo, illud abſque ſyllogiſmo fit. Sic nomen definitione declaratur, non demonſtratur ſeu probatur. Itaque arguendi verbum in iſto Virgilii loco exponendum eſt verbo demonſtrandi ſeu probandi, non autem declarandi. Argumentatur enim iis verbis Dido apud Annam ſororem de nouo hoſpite Ænea, cúmque virum generoſum eſſe concludit tali ſyllogiſmo;

Degeneres animos timor arguit:
At Æneas non timet:
Non gerit igitur animum degenerem: ſed generoſum.

In ſumma, optarim ego, lucem huius diſtinctionis quàm clariſſimè omnibus veritatis ſtudioſis innoteſcere. Quod quidẽ fieri plenè nõ poteſt, niſi ſimul diſtinctio quæſtionis ſimplicis & coniunctæ obſeruetur. Mihi quidem certè vtraque iſta diſtinctio magnam lucem doctrinæ inuentionis Logicæ afferre videtur. Hactenus Piſcator.

De Locorum diuiſione.

IN diſtribuendis topicis argumentis (vt argumentum pro loco ſeu ſede argumenti Rameo more vſurpem) primam argumenti in artificiale & inartificiale diuiſionem quàm P. Ramus conſtituit prætermiſi,quia inartificiale argumentum quod vno nomine teſtimoniũ dicitur, non eſt omnium quæſtionum explicandarum commune. Teſtimonium enim eſt argumentum extrinſecus ad quæſtionis coniunctæ veritatem demonſtrandam aſſumptum. Ex quo manifeſtum eſt teſtimonii vſum non eſſe,vt cæterorum argumentorum, duplicẽ videlicet partim ad declarandum quæſtionem ſimplicem ,partim ad demonſtrandum quęſtionem coniunctam, ſed vnicum hunc poſteriorem vſum in teſtimonio locum habere.

Teſtimoniis enim nihil aliud agimus,quàm vt veritatẽ dictorũ confirmemus. Quare vt neque generale ſpeciei, neque ſpeciale generi tribuatur ſed generale generaliter & ſpeciale ſpecialiter explicetur, per legem καθόλου πρῶτον, communia omnium quæſtionum argumenta,primo & communiter explicaui,poſtea argumentum inartificiale vnius quæſtionis dubiæ proprium proprio loco ſubieci. Ramũ autem ſecutus diſtribui communes inuentionis locos in primos & à primis ortos.Quomodo Grammatici dictiones diuidunt in primitiuas & deriuatiuas ,primóſque locos cum Ramo appellaui cauſas & effecta,ſubiecta & adiuncta, oppoſita , comparata, & à primis ortos definitionem & diuiſionem, quia cauſarũ, effectorum, ſubiectorum, adiunctorum,oppoſitorum comparatorum, dialectica conſideratio prima eſt, nec ex ſequentibus dependet, ex hiſque tanquam primis fontibus definitionis & diuiſionis conſideratio & doctrina deriuantur. Nam doctrina quidem cauſarum,poteſt intelligi ſine doctrina definitionis & diuiſionis:doctrina autem definitionis & diuiſionis depẽdet ex doctrina cauſarum &aliorũ primorum locorum.Imò rei definitio & diuiſio ex primis locis conſtant omnino & componuntur, vnde compoſiti loci verè poſſunt appellari, ſicut & alii primi ſimplices

De Locis primis.

PRimos verò locos ordine ex Rami doctrina potiſſimum deſcripſi,ſed complures διχοτομίας nimio plus , vt mihi quidem viſum eſt, argutas præterii, quo familiarior quàm elegantior viderer. Vſum duplicem loci cuiuſque a Ramo minus explicatum ſtudioſiſſimè aperui , axiomata topica à Ramo eiecta reſtitui, exempla ad ſimplicem aut ad compoſitam quæſtionem explicandam quæ à Ramo omiſſa ſunt adieci, quæ minus idonea mihi viſa ſunt ab illo allata amputaui,aliáque aptiora aut faciliora ex idoneis authoribus, vel ex aliis Dialecticis deſumpta adhibui ,atque ita omnia Topica præ-

cepta nonnullis partim reiectis, partim additis illuſtriora & ad omnem quæſtionem tractandam accommodatiora efficere tentaui.

De Locis aliunde ortis.

IN explicandis locis aliundè ortis à P. Rami decretis magis deflexi, quàm in locis primis. Illos enim Ramus diſtribuit in coniugationem & notationem, diuiſionem & definitionem. Ego verò duos tantummodo ſummos locos à primis ortos poſui definitionem & diuiſionē, quia notatio definitionis ſpecies eſt, nempe definitio nominis. vt Ariſtoteli, 10. 2. poſt 2. 2. Top. cæteriſque Dialecticis placet. Definimus enim, vt inquit Melanchthō initio lib 1 Dialect. cùm aut nomen interpretamur aut quid res ſit exponimus. Coniugatio verò locus omnium quæſtionum explicandarum communis non videtur, Eius enim vſus totus ferè in demonſtrando probandóve cernitur, attamen notationis loco ceu appendicem quandam coniugationem ſubieci, quia coniugationis doctrina notationi finitima admodum eadémque breuiſſima eſſet.

Præterea cū omnis ars definitione & diuiſione explicetur: cū thema quodlibet dubium definitione ceu generaliori ratione, & diuiſione, tanquam ſpecialiori notione arguatur: cùm loci primi ferè videantur ad definitionis & diuiſionis doctrinam referri: cum maxima Logicæ facultatis pars in arte definiendi & diuidendi cernatur: rationi conſentaneum mihi viſum eſt, vt duo ſumma conſtituerem locorum genera, alterum definitionis, diuiſionis alterum. Deinde definitionem contra P. Rami placitum ante diſtributionem expoſui, non ſolum quod in omni diſputationis artificioſa collocatione & methodo, à definitione rei, de qua agitur, ordiendum ſit, deinde ad diſtributionem veniendum: ſed etiam quod diſtributionis doctrina intelligi non poſſit, ſine doctrina generis, ſpeciei, & differentiæ, quæ in definitionis loco explicari neceſſario debent, quemadmodum ego explicaui. Genus enim & differentia partes ſunt definitionis, Species verò res eſt ſubiecta generi. Nā genus eſt prior definitionis pars quæ de definita ſpecie prædicatur in quæſtione quid eſt, ſed imperfectè id eſt non reciprocè vt, Quid eſt homo? Eſt animal, Quid eſt Iuſtitia? Eſt virtus. Differentia verò eſt poſterior definitionis pars, quæ generi addita, definitionem complet & abſoluit: & de definito cum genere coniuncto prædicatur in quæſtione quale eſt: vt, Quale animal eſt homo? Rationale. Qualis virtus eſt Iuſtitia? Virtus quæ ſuū cuique tribuit. Neque vero eſt quod quis nobis obiiciat Ariſtotelē in poſterioribus Analyticis tradidiſſe; vt definitionē ſpeciei diuiſione generis

inueſtigemus,& definitiones generis, inductione ſpecierum colligamus: hoc enim ipſo Ariſtoteles nos admonet, vt ad definiendam ſpeciem, aſſumpto genere deſcendamus ad propriam differẽtiam, & ad definiendum genus, inquiramus per inductionẽ primum aliquid cõmune, in quo multa ſimilia conſentiant, deinde aſſumpta differentia, definitionem compleamus. Sed non inde conſequitur definitionis doctrinam ex doctrina diſtributionis dependere, hâncque illi anteponendam eſſe. Tum P. Ramum ſequutus non ſum, cum eam definitionem quæ ex aliis locis, quam ex cauſis eſſentialibus conſtat, deſcriptionem appellauit: quia deſcriptionis nomen tam latè patet atque declaratio, ſeu nuda expoſitio. Cuiuſuis enim quæſtionis ſimplicis explicatio, rectè dicitur deſcriptio. Sic Logicæ deſcriptionem dicimus. Sic Phyſicam naturæ deſcriptionem appellamus. Sic plantarum, animalium, vrbium, fluminũ deſcriptiones vocamus. Sic artibus, rebúſque ſubiectis omnibus, quę ſimpliciter & abſque argumentatione explicantur ex definitione, diſtributione, aliiſque locis, deſcribendi verbum aptè conuenit. Vnde Rodolphus Agricola lib. 2. de inuent. inquit. Deſcriptio quæſtionis, quam Græci ἐκφερον vocant, eſt cum rem quamque in quæſtione poſitam per locos deducimus, & ex his ſingula que ei conueniunt, accommodamus. Et pauſò pôſt, fit autem omnis deſcriptio commodiſſimè per pronunciatum, ea lege, vt res quæ deſcribitur ſubiectum ſit, id quod ex loco ducitur prædicatum. Proponatur exempli gratia, Homo, & per omnes locos deducatur, Homo eſt animal rationale, deſcriptio eſt ex definitione. Homo eſt animal, ex genere. Homo doctus eſt homo. Cato eſt homo, ex ſpeciebus. Deinde Homo eſt rationalis, Homo eſt capax diſciplinæ & virtutis, poteſt loqui, poteſt fidibus canere, deſcriptio eſt ex propriis. Ex partibus, Homo ex anima & corpore cõſtat. Sicque ex cæteris locis hominem deſcribit, vt apertè declaret deſcriptionem ex omnibus locis ſumi.

Diuiſionem inſuper duplicem feci, alteram rei, alteram nominis: quia diſtinctio nominis πολυωνύμου, id eſt ambigui in ſua ſignificata maximè vtilis eſt ad bene rem propoſitam cognoſcendum & docendum. In vſu autem definitionis & diuiſionis ad explicandam quæſtionem & ſimplicem & compoſitam regulis & exemplis illuſtrando, eandem atque in primis locis diligentiam, ſtudiúmque adhibui.

De Diſpoſitione.

HActenus deſcripta à me inuentionis Topicæ præcepta rationibus & authoritatibus confirmaui, cauſáſque propter quas à Ramo, Ariſtoteleſque interdum diſſideam produxi: ſupereſt vt diſpoſitionis criticæ à me traditę confirmationem perſtringam, & quamob-

tem à Ramo,aliíſque authoribus diſſentiam & in hac inſtituenda Logicæ parte paucis explicẽ. Diſpoſitionem definiui Logicæ partẽ eſſe, qua notiones inuentæ cũ propoſito themate diſponũtur ad benè iudicandũ,quia inuenta è Topicis attributa cũ themate ſimplici, & argumenta cum themate cõpoſito diſpoſitione,collocantur. Particula autẽ(ab benè iudicandũ) addita eſt, quia priuſquã de attributis & argumẽtis quiſpiam iudicare poſſit, illa cũ ſubiecto,hæc verò cũ dubio themate collocata ſint neceſſe eſt, ac in rectè de lõga diſputatione iudicando diſpoſitione ſit opus. Vnde diſpoſitio à veteribus Dialecticis κρίσις id eſt iudiciaria nominatur: quamuis iudiciũ videatur per totã artẽ Logicã fuſum, inuentioníſque & diſpoſitionis eſſe cõmune. Diſpoſitionis ſpecies tres conſtitui,enunciationẽ,argumentationẽ & methodũ,quia cũ è Topicis attributũ ducatur,& argumentum,altera diſpoſitione eſt opus, qua attributũ cũ ſubiecto themate collocetur: altera qua argumentũ cũ dubio themate diſponatur,& tertia inſuper diſpoſitionis ſpecies ſit neceſſe eſt,qua plura attributa cum ſubiecto, aut plura argumenta cũ dubia quæſtione ſimul ordinẽtur. Eã autem diuiſionẽ Ramus quidẽ, ſed cũ ſtudioſius διχοτομίαν conſectaretur, argutè & obſcurè tradidit,c.2.l.2. Dial. ex vlt.recog. Diuiſit enim iudicium(quod pro diſpoſitione vſurpat) in axiomaticum & Dianoëticum. Dianoëticum verò in ſyllogiſmum & methodum.

De Enunciatione.

ENunciationem definiui collocationẽ attributi cum re ſubiecta, quia ſiue cauſa,ſiue effectum,ſiue ſubiectum,ſiue adiunctum,ſiue aliud quodlibet attributũ cum ſubiecto themate ſimpliciter vel ſub conditione collocatum ſit,enũciatum eſt,ſiue affirmatum ſit,ſiue negatum,ſiue verum,ſiue falſum,ſiue manifeſtum,ſiue dubium.Itaque non mihi videtur rectè à P.Ramo axioma eſſe appellatum,quia ἀξίωμα id tantùm ſignificat enunciatum quod propter illuſtrem veritatem dignum eſt,cui fides habeatur,cùm præſertim à nomine ἄξιος,id eſt dignus deducatur.

Neque hanc axiomatis definitionem quam Ramus tradidit c.2.l.2. Dial.ex vlt.recog. (Axioma eſt diſpoſitio argumenti cum argumẽto, qua eſſe aliquid aut non eſſe iudicatur) duabus de cauſis probare poſſum, prima, quod ibi argumentum abuſiuè vſurpetur pro attributo, cum propriè ſit probabile inuentum ad faciendam fidem, pro ſubiecta autem re falsò dicatur omnino, cum res ſubiecta arguatur,nõ arguat,vt ſuprà docui. Altera, ꝙ non tantũ aliquid eſſe aut nõ eſſe enũcietur,ſed etiã hoc eſſe illud aut nõ eſſe,ab illo ori-

ri aut non otiri, id agere aut non agere, circa id verſari aut nõ verſari, tale eſſe vel non tale, & id genus alia. In enunciatione item diſtribuenda à P. Rami doctrina plurimum diſcrepaui. Ramus enim primo axioma diſtribuit in affirmatum & negatum, deinde in verum & falſum, verum autem in contingens & neceſſarium, cui homogeneum & Catholicum adiũxit. Tum axioma diuiſit in ſimplex & compoſitum. Simplex in generale & ſpeciale. Speciale verò in particulare & proprium. Axioma autem compoſitum in cõgregatiuum & ſegregatiuũ, congregatiuum in copulatum & connexũ. Segregatiuũ in diſcretum & diſiunctũ. At ego imprimis diuiſi enunciationẽ in ſimplicẽ & cõditionalẽ: quia hæc diuiſio in ſpecies precedere debet cæteras diſtributiones quæ ſunt ex enunciati affectionibus ſumptæ. Ac prætereà in reſoluendis authoribus, vbi attributũm cũ ſubiecto iunctum conſideratur, ante omnia adnotandũ ſit, ſimpliciterne, an ex hypotheſi enuncietur. Enunciatio ſimplex in ſcholis Categorica nominatur. Cõditionalis verò appellatur Hypothetica, à Ramo autem compoſita. Sed ego longè aliter enunciatum ſimplex & compoſitum interpretatus ſum, quàm P. Ramus interpretatur. Simplex enim enũciatum eſſe docui, quando attributũ cum ſubiecto ſimpliciter collocatur. Et cõditionale quando ſub conditione attributũ cum ſubiecto diſponitur. Ramus autem nulla habita thematis ſubiecti, neq; attributi, qua ſubiectũ thema explicatur ratione, definiuit axioma ſimplex quod verbi vinculo continetur, Et axioma compoſitũ quod vinculo cõiunctionis continetur. Prætereà axioma compoſitũ diſtribuit in copulatũ & relatũ, connexũ ſeu cõditionale, diſcretũ, diſiunctũ. Ego pręter enunciationẽ conditionalẽ, quã ſimplici enunciationi è regione oppoſui, cæteras amputaui ſpecies, quia ad verũ enunciati vſum minus eſſent accõmodatę, vtpote ad ſimplicis thematis cũ attributo collocãdi rationẽ. Deinde quia in copulatis, diſiũctis, omnibúſque enunciatis attributũ alias ſimpliciter cũ ſubiecto collocatur, vt homo eſt rationis capax & aptus ad riſum. Homo eſt iuſtus vel iniuſtus: aliàs cũ conditione, vt, Si homo regitur à ſpiritu ſancto & cognoſcit & operatur bonũ. Si princeps bellum gerit aut vincet aut vincetur. Atq; ita enũciata copulata & diſiuncta, aut ſimplicia ſunt aut cũ cõditione, quoniã non ex coniunctionis aut vinculo vt Ramo placet, ſed ex cõditione adiecta, aut non adiecta, coniunctã aut ſimplicẽ appello enunciationẽ. Ad hęc enunciatũ relatũ è comparatorũ loco ſumitur. Eſt enim relatũ enunciatũ quo enũciatur cõparatio è protaſi & apodoſi conſtans. vt, Ciues ſolent tales exiſtere, quales principes ſunt. Enunciatũ verò diſiunctũ è cõtrariis immediatis ducitur, aut certè ex diſtributione, cum hæc enunciatur de ſpecie aliqua eius generis ad quod di-

ſtributio

ſtributio propriè pertinet: vt, Homo aut rationalis eſt aut irrationalis. Quare ſi ex cōparatione & diuiſione enunciationū ſpecies conſtituendæ & nominandæ ſunt, ex cauſis etiā & effectis, & ſubiectis & adiunctis, cæteriſque locis Topicis enunciatū liceret diſtribuere. Sícque tot enunciationis ſpecies eſſe poſſent, quot ſunt attributorū genera. E` ſimplicis etiā & compoſiti enunciati doctrina quā P. Ramus enunciationis oppoſitionē tradidit reſecui, quia non præbet vſum ad thema ſimplex explicandum.

Secundo loco enunciationē ex adiuncta qualitate diuiſi in affirmatam & negatā, quia ſimulátque in enunciato cōſiderauimus ſimpléxne an cum conditione ſit, videndum eſt an attributum de ſubiecto affirmetur, aut negetur.

3. Omnem enunciationem ex adiuncta quantitate diſtribui in communem & propriam, exempliſque declaraui diuiſionē hanc non vni enunciationi ſimplici, ſed connexæ etiam enunciationi contra Rami præceptum conuenire.

4. In ἀμέσοις & ἐμμέσοις diuiſi, quia hæc diuiſio apprimè vtilis ac neceſſaria eſt, vt in enunciatis annotandis animaduertamus quæ ſine medio & argumento per ſe & ſua luce euidentia & nota ſint, & quæ medio & argumento probētur & iudicentur. Quæ diuiſio à P. Ramo prætermiſſa eſt.

5. Enunciationem ex propriis affectionibus in veram & falſam diuiſi. Soli enim enunciationi id eſt affirmationi aut negationi propriè ineſt veritas aut falſitas.

6. In neceſſariam & contingentem, quia hæc diuiſio non modo axiomati vero conuenit, vt Ramus præcepit, ſed falſo etiam, adeóque omni enunciato communis eſt. Eſt igitur generalis diuiſio enunciati, non autem ſpecialis enunciati veri. Neceſſarium verū eſt quod ſemper verum, nunquam falſum eſt. Neceſſariū falſum, quod ſemper falſum eſt, nunquam verum. Specialíque vocabulo nominatur impoſſibile. Contingens verum, eſt quod ſic verum eſt, vt aliquando falſum eſſe poſſit contingens falſum, quod ſic falſum eſt, vt aliquando verum eſſe poſſit.

7. Enunciatum diuiſi in homogeneum & heterogeneū, poſtremo in reciprocū & non reciprocū, quia artium & doctrinarū axiomata debent eſſe homogenea & catholica ſeu reciproca. Poſteà tres leges κατὰ παντός, καθ' αὑτό, καθ' ὅλου πρῶτον, quas P. Ramus authoritate Ariſtotelis primus ad artium & diſciplinarum reformationem adhibuit, breuiter & perſpicuè explicaui: quia in omnibus artium enunciatis excutiendis, præter cæteras enunciatorum differētias diligenter inſpiciendū ſit, num ſint omnia his ſciētificis legibus conten-

tanea, id eſt ſi omnia quæ in arte traduntur ſint vera & quidem ſemper vera: ſi eadē ad eſſentiam artis pertineāt, non autem aliena & aduētitia ſint: ac ſi ſingula artis documenta ſemel tantū ſint tradita, non multoties iterata: quod fit ſi ſint reciproca: quum ſcilicet quæ totius generis propria ſunt, toti generi ſimul, non autem ſingulis ſpeciebus ſeorſum tribuuntur: atque ita ſemel tantū, non autem ſæpius doceantur. Tandémque authoritate Ariſtotelis docui, enunciata quæ per ſe clara & manifeſta ſunt, vt axiomata, naturali mentis lumine intelligi & iudicari: quæ verò dubia & incerta ſunt, probatione egere, argumentationéq; explicari. Enunciatio autē de qua præcepimus, vulgò appellatur propoſitio, ab Ariſtotele ἀπόφανσις & πρότασις, à Cicerone verò enunciatio, enunciatum, pronunciatū, effatum, & axioma, quod nomen in Dial. vlt. ædit. Ramus retinuit, quáuis axioma authore Ariſtotele c. 2. l. 1 poſt. Analyt. principium ſit ſuaptè natura clariſſimū & euidētiſſimū, vt Totū maius eſt ſua parte. Bis duo ſunt quatuor.

De Argumentatione.

Argumentationis qua argumentum cū themate dubio ad id cōcludendū collocatur, duas tantū ſpecies conſtitui, ſyllogiſmum & enthymema: quia inductio & exemplum, quæ vulgò præter ſyllogiſmū & enthymema pro generibus argumentationis enumerantur, argumētationes non ſunt. Inductio enim nō eſt argumētationis nomen, ſed argumenti ex diſtributionis loco ſumpti, ſicuti ampliſſimè monuimus. Nam cū partes enumerantur ad concludēdum totum, vel ſpecies ad genus, inductio vocatur. Exēplum item nomē eſt argumēti non argumētationis: & ferè ſpecies eſt ſingularis rerū de quibus agitur: & hoc ſolo differt ab inductione, quòd inductio aut omnes, aut complures partes colligit: exēplum vnam tantum ſumit. Nihil igitur ad diſpoſitionē inductio & exēplum pertinēt, ſed ad inuentionis locū de partibus, vt rectè contendit P. Ramus. At ſi inductio vel exemplum nominetur per Metonymiam cauſæ nempè materiæ, ipſa argumentatio quę inductione, vel exēplo conſtat, vtráque certè enthymema erit: nec enim in vtraque noua eſt, aut diuerſa ab enthymemate diſpoſitionis forma. Prætereà ſi inductio & exēplum peculiares eſsēt argumentationis ſpecies, tot eſſe poſſent formæ argumentationum, quot ſunt genera argumentorum. Quare duæ duntaxat argumentationis ſpecies ſunt, altera perfecta, quæ ſyllogiſmus appellatur, altera imperfecta quæ enthymema dicitur: cum præſertim omnes quæ dici aut excogitari poſſunt argumentationis formæ ad ſyllogiſmū, vel ad enthymema referātur. Vnde P. Ramus in Dialectica vlt. ædit. ſyllogiſmo & enthymemati proſyllogiſmum adiungere non debuit, quia nihil aliud ſunt proſyllogiſmi, quàm approbationes, id eſt adductæ ad

probandum ſyllogiſmi propoſitionem aut aſſumptionem probationes, ſubalternis ſyllogiſmis aut enthymematis perpetuò diſpoſitæ.

Syllogiſmũ cũ P. Ramo diuiſi in duas ſpecies in ſimplicẽ videlicet & cõpoſitum, in qua generali diuiſione nõ habetur ratio enunciationis ſimplicis aut conditionalis, ſed tantũmodo argumenti ſimpliciter aut cõpoſitẽ cum partibus quæſtionis probãdę diſpoſiti: quod videlicet argumentũ diſponatur cum quæſtionis partibus ſigillatim, aut cũ tota quæſtione, id eſt cum vtraque quæſtionis parte coniunctim. Ex enunciatis enim hypotheticis ſimplex ſyllogiſmus fieri poteſt: vt,

Si animal eſt, ſubſtantia eſt:
Si homo eſt, animal eſt:
Ergo ſi homo eſt, ſubſtantia eſt.

Partes omnes ſunt enunciationes hypotheticæ, & tamen argumentũ ſimpliciter diſpoſitum, id eſt ſeparatim cum ſingulis partibus quęſtionis: Atque ideò ſyllogiſmus ſimplex eſt. Sic & ex enunciatis disiũctis, quæ à nobis quidem ſimplicia dicuntur quia ſimpliciter & ſine conditione enunciant aliquid de ſubiecto, ſed ab alijs cõpoſita enunciata appellantur, quia eorum partes coniunctione diſiunctiua coniunguntur, ſyllogiſmus ſimplex conſtare poteſt:

Omne animal mortale eſt, aut immortale:
Homo autem animal eſt:
Homo igitur mortalis eſt, aut immortalis.

Hic ſyllogiſmus ſimplex eſt, primæ figuræ. At poſteà ex enunciatis affirmatis & negatis, ſyllogiſmũ diſtinxi in affirmatum & negatum. Et ex communibus ac propriis in communẽ & propriũ. Ego autem Ariſtotelem & vſitatam ſcholarum doctrinam ſequutus ſyllogiſmum ſimplicẽ in tres ſpecies, quas figuras vocant, ex triplici varietate argumenti ſimpliciter diſpoſiti, ſumptas diſtribui. Aliàs enim argumẽtum conſequentem partem quæſtionis antecedit in propoſitione, & cõſequitur antecedẽtem in aſſumptione, & dicitur prima figura: vt,

Quod ſemper mouetur, æternum eſt:
Animus ſemper mouetur:
Animus igitur æternus eſt.

Aliàs vtramque partem quæſtionis conſequitur, & dicitur ſecunda figura: vt,

Nullum vitium eſt expetendum:
Omnis virtus eſt expetenda:
Nulla igitur virtus eſt vitium.

Aliàs vtramque antecedit, & dicitur tertia figura: vt

Omnis auarus eſt inſatiabilis:
Omnis auarus eſt iniuſtus:

Aliquis igitur iniuſtus eſt inſatiabilis.

Longe autē in his tribus deſcribendis ſyllogiſmi figuris a P. Rami doctrina deſciui. Ramus enim dichotomię ſtudio in Dialectic. vlt. recog. hanc Ariſtotelis & omnium Dialecticorum in tres figuras trichotomiam neglexit, harúmque figurarum ordinē omnino peruertit, cum ex tertia figura primam, & viciſſim ex prima tertiam faciat. Diuidit enim ſimplicem ſyllogiſmum in contractum & explicatum, Contractúmque definit quando argumentum pro exemplo ita ſubiicitur particulari quæſtioni, vt vtrāque partem antecedens & aſſumptione affirmatum intelligatur.

Quædam confidentia eſt virtus, vt conſtantia:

Quædam confidentia non eſt virtus, vt audacia.

At eiuſmodi contractio ſyllogiſmorum (vt rectè adnotauit Ioannes Piſcator) qualis hîc à Ramo proponitur, ſyllogiſtica nō eſt, quoniam argumentum non enunciatur vt probatio ſed vt declaratio. Nā particula vt, ſic vſurpata non probandi, ſed declarandi poteſtatē habet. Ad probandum autē adhibenda eſt particula rationalis aut cauſalis, Nam, vel quia: & ita dicendum: Quædā confidentia eſt virtus: Nā conſtantia eſt virtus. Quod iam enthymema eſt, cui deeſt aſſumptio. Deinde vero ſyllogiſmus ille, quem Ramus contractum vocat, ſi perfectus eſſet, tertiæ Ariſtotelis figuræ modus eſſet, cur igitur primo ordine ſtatuitur, & primæ figuræ loco? Quia prima Ariſtotelis figura (inquit Gulielmus Rodingus Haſſus) naturâ poſterior eſt, huic P. Ramus poſtremum locum tribuit. At prima Ariſtotelis figura inquam, ſine conſequentibus figuris intelligi, & doceri poteſt, nec ex aliis vllo modo dependet, Ergo nō natura poſterior. Præterea omne genus thematis dubii affirmati, & negati, generalis & ſpecialis concludit & iudicat. Secunda autem negatum thema tantum concludit. Tertia generaliter nihil concludit. Ergo prima Ariſtotelis figura quā Ramus vltimam fecit omniū eſt generaliſſima, & ideo natura prior: huic proxima eſt ſecunda: Tertia quam Ramus primam ſtatuit, omnium poſtrema eſt, vt quæ ſpecialiſſima, & vni quæſtioni ſpeciali propria. Huc accedit quod prima Ariſtotel. figura omnium ſit vſitatiſſima & ad doctrinæ ſcientiam accommodatiſſima, & ad cognoſcendum quid ſit de quo agitur. Secunda autem minus ſit frequens in vſu quotidiano & bonis authoribus quam prima, & non-concludat quid ſit, ſed quid non ſit, ideoque refutationibus quæſtionum duntaxat conueniat. Tertia autem ex tribus rariſſima ſit, & ad paucas quæſtiones iudicandas poſſit accommodari Atque his quidem de cauſis primam Ariſtotelis figuram primo loco, ſecundā ſecundo, tertiam tertio explicaui.

Singularum autem formarum modos diſtinxi,& perſpicuis & illuſtribus exemplis ex bonis authoribus partim à P.Ramo,partim à nobis ſelectis illuſtraui. Adhæc ſingulos modos vocabulis tritis & vſitatis, ad indicandum partium ſyllogiſmi tum qualitatem, tum quantitatem à Dialecticis ſagaci induſtria excogitatis,expreſſi, quia eſſent & ad ſyllogiſmorum diſtinctionem & ad memoriam clariſſima.

Illa autem vocabula his quatuor verſibus continentur:

Barbara,Celarent,primæ,Darij,Ferioque.
Ceſare,Cameſtres,Feſtino,Baroco,ſecundæ.
Tertia grande ſonans tibi dat Darapti,Felapton,
Adiungens Diſamis,Datiſi,Bocardo,Feriſon.

Ramus hæc nomina tanquam barbara omnino abiecit, ſed quia in ſcholis vſu trita ſunt, & paſſim obuia, ac longè vtiliſſima retinenda eſſe exiſtimaui. Ariſtotelicis figuris Ramus duos ſyllogiſmorum propriorum modos adiecit,cõſtantes ſanè,& ad vſum non inutiles,quos ego poſt ſyllogiſmorum communium doctrinam ſeorſum deſcripſi, quia modi communes nominibus vulgaribus iam diſtincti eſſent, proprij verò non item. Licet Ioannes Piſcator etiam voces ad illos proprios modos ſignificandos recens confinxerit, ad duos videlicet primæ figuræ Butburu, Tylurynt, ad duos ſecundæ figuræ Cyſury, Cumyſtrys, ad duos tertiæ Durupti,Fylupton. In quibus vocalis V, enunciationem ſingularem affirmatam,Y verò ſingularem negatam indicat. Syllogiſmum compoſitum, qui nomen hoc inuenit,à cõpoſita propoſitione argumenti cum vtraque parte quæſtionis, diuiſi cũ P.Ramo in connexum & diſiunctum.

Syllogiſmum connexum propriè hypotheticum vocari dixi,quia ex propoſitione hypothetica conſtat. Diſiunctũ autem tantũ appellari hypotheticũ κατὰ χρηστικῶς, quia videlicet habet argumẽtũ cum quæſtione in propoſitione ſimiliter collocatũ,quã ſyllogiſmus hypotheticus,ac propterea quod in ſyllogiſmo diſiuncto ſubiectum non altera propoſitionis pars appelletur, & diſiũctum quod de ſubiecto enunciatur,pars altera,ſed pars & antecedens,& conſequens, ibi dicatur ex ſubiecto & prædicato conſtare, quemadmodum & in ſyllogiſmo connexo.vt in hac propoſitione, homo eſt mortalis aut immortalis (homo eſt mortalis) ſit prima pars (homo eſt immortalis) pars altera.Ex quo fit,vt ſyllogiſmi diſiuncti ad connexos videantur poſſe reuocari permutatione ſcilicet propoſitionis id eſt enunciati diſiuncti,in connexum. (quemadmodum Ioannes Piſcator adnotauit). Nã quæcunq; diſiuncta enunciata vera ſunt: eorum partes ita inter ſe cõparatæ ſunt vt ſi vna affirmetur,reliqua neceſſario neganda ſit & viciſſim ſi vna negetur,reliqua ſit affirmanda, quo fit vt enun-

ciata diſiuncta in eiuſmodi connexa tranſmutari poſſint: vt,

Aut dies, aut nox eſt: Ergo
Si dies eſt, nox non eſt.
Et viciſſim, Si nox eſt, dies non eſt.
Item, Si dies non eſt, nox eſt.
Et viciſſim, Si nox non eſt, dies eſt.

Cæterum vnuſquiſque diſiunctus ſyllogiſmus poteſt permutari duobus cõnexis: altero primi, altero ſecundi modi. Primi modi fit, quum aſſumitur pars antecedens: ſecundi, cum conſequens.

Diſiunctus primi modi.
Aut dies eſt, aut nox eſt:
At dies eſt:
Nox igitur non eſt.

Æquipollentes.
Connexus primi modi:
Si dies eſt, nox non eſt:
At dies eſt:
Nox igitur non eſt.

Connexus ſecũdi modi.
Si nox eſt, dies non eſt:
At dies eſt:
Nox igitur non eſt.

Diſiunctus ſecundi modi.
Aut dies eſt, aut nox eſt:
At dies non eſt:
Nox igitur eſt.

Æquipollentes.
Connexus primi modi.
Si dies non eſt, nox eſt:
At dies non eſt:
Nox igitur eſt.

Connexus ſecundi modi.
Si nox non eſt, dies eſt:
At dies non eſt:
Nox igitur eſt.

Notandum autem ex enunciatis affirmatis, negatis, communibus & propriis ſyllogiſmum cõpoſitum, affirmatum, negatum, communem & proprium eſſe, ſicut & ſimplex ſyllogiſmus. Verum ex iis non diſtingui diuerſos ſyllogiſmi compoſiti modos, quoniã in eo habeatur tantùm partis aſſumendæ aut tollẽdæ ratio, nec vtrum quod aſſumitur tollitúrve affirmatum an negatum ſit, communéque an proprium interſit, quia ex affirmatione & negatione, communique aut propria quãtitate, ratio conſequentiæ non depẽdeat, ſicut in ſyllogiſmo ſimplici. Nec verò prætereundum illud eſt ſyllogiſmum ſimplicẽ in cõpoſitum, viciſſimq́ue compoſitum in ſimplicem poſſe conuerti. Atq; ita eandem quæſtionem vtroque genere ſyllogiſmi poſſe concludi: idémque argumentũ modo ſimpliciter, modo cõpoſitè diſponi: vt,

Omne laudabile eſt honeſtum:
Omne bonum eſt laudabile:
Omne igitur bonum eſt honeſtum.

Syllogiſmus hic ſimplex eſt, qui ex eodem argumento & quæſtione in coniunctum mutatur: hoc modo,

Si omne bonum eſt laudabile, omne bonum eſt honeſtum:
At omne bonum eſt laudabile:
Omne igitur bonum eſt honeſtum.

Explicato ſyllogiſmo enthymematis declarationem tradidi, de qua à P. Ramo in Dialectica poſtrema, nulla facta eſt mentio.

De Methodo.

Methodum definiui diſpoſitionem multarum & variarum enũciationum vel argumentationum ad vnũ thema explicandum ſpectantiũ, vt oſtenderẽ methodum cõmunẽ eſſe & ſubiecti thematis cum pluribus attributis, & dubij propoſiti cum pluribus argumentis collocationẽ. Deinde duas methodi ſpecies conſtitui, alteram ſciẽtię, alteram prudẽtiæ, quia quotquot homogeneæ ſiue enunciationes, ſiue argumentationes inter ſe collocantur, aut certa & catholica naturæ methodo, aut hominis iudicio & opinione diſponũtur: quæ diuiſio approbatur etiam teſtimoniis Ciceronis, Quintiliani & Ariſtotelis. Methodum ſcientificam definiui qua naturâ priora abſolutéque clariora & notiora præcedunt: quia vnicã & ſingularem ſcientię methodum cum P. Ramo eſſe ſentio, quę à naturâ prioribus & notioribus ad naturâ poſteriora & obſcuriora progrediatur: quia hæc ſola via eſt ad intelligentiam rerum ratione tractandarũ, & ad memoriã clariſſima, maximéq; compẽdiaria, éſtque præterea teſtimoniis ſummorum Philoſophorum Hippocratis, Platonis & Ariſtotelis à P. Ramo comprobata. Naturâ autẽ priora & notiora cum Ramo appello, quæ per ſe poſſunt intelligi, cætera autẽ ſine ipſis nequeunt, & illa à quibus ceu antecedẽtibus conſequẽtia dependent, vt cauſæ ſuis effectis, & ideò earum ſymbola vt generalia ſpecialibus, & vniuerſalia ſingularibus naturâ priora ſunt. Nam vt ſcribit Ariſt. 2. 1. poſt Analyt. ἁπλῶς δὲ πρότερα καὶ γνωριμώτερα τὰ πορρώτερον. ἔστι δὲ πορρωτάτω μὲν τὰ καθ' ὅλου μάλιστα. abſolutè autem priora & notiora, quæ longius à ſenſu remota ſunt: remotiſſima autem ſunt, quæ maximè ſunt vniuerſalia. Cúmque Philoſophi præcipiunt doctrinæ ſcientiam à cauſis ad effecta deducendam eſſe, nihil aliud præcipiũt, quàm vt ab vniuerſalibus ad ſpecialia, omnem legitimã & artificioſam diſputationem perſequamur, quia ſunt vniuerſalia ſymbola cauſarũ, vt ſpecialia effectorum. Et quanuis in prima rerum diſquiſitione ſpecies antè cognoſcatur, quã genus (nam prima informatio & perceptio fit per ſenſus) tamen cum vtrumque cognoueris, & doctrinã tradere volueris, genus ipſum ſua natura clarius & prius erit: atq; idcirco in diſpoſitione artis pręcedere ſpeciem debebit. Vtrumque verò ſcientificæ methodi vſum, alterum in ſimplicibus, alterum in coniunctis diſputationibus ordinãdis perſpicuè & præceptis & exẽplis inſignibus:

declaraui. Nulla auté methodi prudentiæ præcepta tradidi, quia nullam habet certam, ſtabilem & catholicã legem qua vtatur, ſed pendet omnino ex illius qui diſponit iudicio, atque ita in hominis opinione tota verſatur. Porrò in explicatione methodi etſi P. Rami doctrinam potiſſimũ ſequuti ſumus, inter nos tamen & P. Ramum non omnino conuenit. Ramus enim neque methodi definitioné, neq; præcepta reliqua, neque exépla ad vitamque tractandam quæſtionem accommodauit, neq; apertè docuit, & ſimplicia themata cũ pluribus attributis vt in ſimplicibus & nudis artium deſcriptionibus, & compoſita themata vt in magnis rerum dubiarum diſputationibus, cũ pluribus argumentis ſimul ordinati methodo. Deinde in Dialectica ab illo recognita, alteram ſcientiæ, alteram prudentiæ methodum eſſe non diſtinxit, cum tamen neceſſe ſit, quæcũque benè ordinata ſunt, aut ſciẽtiæ aut prudentiæ methodo collocari, nullámque de prudentiæ methodo mentionem fecit, ſed illius loco de κρύψει id eſt occulta & inſidioſa inſinuatione, cum videlicet delectatione motúve aliquo maiore, in parte aliqua fallendus erit auditor, præcepit. Et tamen crypſis methodus non eſt omnium quæſtionum diſponẽdarum communis, ſed prudentiæ duntaxat particula ad capiendum & ducendum auditorem quo volumus. Explicatis Logicis præceptis duplicem in peroratione aperui exercendæ Logicæ viam, alteram in Analyſi, alteram in Geneſi. Quæ licet multis locis à P. Ramo ſit adnotata, tamẽ in Logicis à ſe poſtremo recognitis eſt prętermiſſa. Sed ne Aitiologica diſputatio noſtra ſit lõgior, iam finẽ faciã, ſi id vnum monuero, quoniã quæſtio cõpoſita ex ſimplici quæſtione ſæpe deducitur, plerũque in materia ſubiecta tractãda, plurimas etiam quæſtiones dubias vnà explicari. In omni enim ſubiecto themate tractando, eius accuratè aperiũtur attributa, tũ ſingula cũ ſubiecto copulata, enunciata ſunt, quæ ſi clara ſint & manifeſta, exẽplis tantũmodo rerum ſenſilium (attamẽ ſi opus ſit) illuſtrantur, ſin dubia & incerta in quæſtiones conuertuntur, & argumentis confirmantur, argumentáque cum quæſtione dubia diſponuntur ſyllogiſmo vel enthymemate. Omniáque ſimul ordine & methodo collocantur.

Concluſio.

Habes, Candide Lector, τεχνολογίας Logicæ à nobis deſcriptæ αἰτιολόγιαν, vides cur aliàs Ramo, aliàs ab Ariſtotele aut Ariſtoteleis diſſentiam, quamobrem modo hos, modo illum ſequutus ſim, & quare nulli addictus authori Philoſophica libertate aliquando vſus ſim. Operam noſtram æqui boníque conſule, noſtróque labore gratus fruere. Vale.

FINIS.

ISAGOGETHICA AD RATIONIS NORMAM DELINEATA.

NICOLAO ABRAHAMO Guïſiano Authore.

Eadem ABRAHAMI Iſagogethica in Tabulam redacta.



PARISIIS,
Apud Gulielmum Linocerium, in monte Diui Hilarij, ad inſigne Vaſis aurei.

M. D. LXXXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, AC DOMINO COLENDISSIMO D. VALENTINO GLASSEO, *Epiſcopo ac Duci Laudunenſi, Pari Franciæ, & Comiti Aniſiaci, Mecœnati ſuo,*

NICOLAVS ABRAHAMVS Guiſianus S.

SI quando (Mecœnas optime) ſtudioſus fui apud primates ineundæ, multo minus referendæ bene meritis gratiæ immemor videri volui. Nam ſi in eos quos ſpero mihi profuturos, non dubitaui officia conferre, in te qui iam profuiſti, multo magis debui. Sic quippe tuis maximis in me beneficiis, ſingularíque benignitate, ac familiaritate tibi me deuinxiſti, vt tuas omnibus partibus eximias laudes ingrate reticere, nec poſteritati commēdare non poſſim. Cum præſertim nō genere ſolùm, verumetiam dignitate, ac virtute omni reluceas. Quàm enim in aula Gallica celebris, quàm HENRICO tertio Franciæ & Poloniæ Regi Chriſtianiſſimo chara ſit Glaſſeorum familia nemo neſcit, niſi rerum quæ geruntur planè rudis & ignarus. Multi ſunt honores Regis & Pontificis Maximi iudiciis tibi delati, ad altum Epiſcopi gradum euectus es, inter pares Franciæ cooptatus, multíſque laudum titulis & ornamentis decoratus. Quam præ-

clarè verò in his dignitatib' cõſtitutus te geras, nemo eſt qui ignoret Virtutes enim (quibus es à Deo. Opt. Max. ornatus) in te ſummæ ſunt, ardens in Chriſtiana religione zelus, mirifica in paſcendis animis vigilantia, flagrans in bonis diſciplinis amor, atque in literarum ſtudioſos, & bonarum artium cultores propenſa volũtas. Id quod ſatis declaras, cùm tantum curæ tibi ſit collegium Laudunenſe in illuſtriſſima Pariſiorum Academia conditum, vt nihil prius habeas, quantáque poſſis maxima, beneuolẽtia & fauore proſequaris, qui ibi gnauiter dant operam literis. Omitto humanitatem, comitatem, manſuetudinem in te eſſe tantas, vt meum & omnium hominum animos ad te pellicias. Quocirca vt in me recognoſcas quàm illuſtre ſit & inſigne liberalia præſertim ingenia adiuuare, beneficiíſque ornare, non modò Iatrica theoremata noſtra tibi nuncupare, ſed quo virtutis tuæ laudem, nominíſque gloriam ſempiterna memoria poſteris colẽdam relinquerem, ego qui ferè omnes Philoſophiæ partes in methodica compendia coëgi, hoc inſtitutionis Moralis (quam vno nomine Iſagogethicam inſcribere placuit) monimentum tibi dedicare volui, quod illa virtutum deſcriptio, tibi virtutibus ornatiſſimo aptè quadrare videretur. Idque etiam ardentius feci, quod quemadmodum Medica pridem problemata noſtra authoritate tua non leuiter armata, tribúſque fortiſſimis turribus tuis obuallata, aduerſus oppugnatorum impetum ſtrenuè propugnaui, ſic intrepidè omnes aduerſariorum ictus in noſtram ISAGOGETHICAM tui nominis clypeo tectam, me eluſurum eſſe confide-

rem. Hunc igitur laborem (præſul ampliſſimè) à me olim elucubratum, ac nuperrimè recognitum eo animi candore, quo authorem ſuum aliquando complexus es, ſuſcipe. Vale. Lutetiæ Pariſiorum, è tuo collegio Laudunenſi, Calend Septembr. 1 5 8 6.

AD N. ABRAHAMVM DOCTOREM MEDICVM ΦΙΛΟΣΟΦΟΤΑΤΟΝ.

AEGROTOS curat, ſeruat Medicina valentes,
Phœbea cum doceat corporis auxilia.
Ethica dux vitæ, cultrix morúmque magiſtra,
Virtutes pandit, mentis in omne decus:
Sic quibus auxiliis animi fera monſtra domentur
Edocet, & mentis ſubiicit imperio.
Hinc, dum vtramque, ſagax Abrahâme, iam excolis artem,
Tu ſimul es Medicus corporis, atque animi.

P. MASVERIVS
LINGONENSIS,
Medicus.

clarè verò in his dignitatib⁹ cōſtitutus te geras, nemo eſt qui ignoret Virtutes enim (quibus es à Deo. Opt. Max. ornatus) in te ſummæ ſunt, ardens in Chriſtiana religione zelus, mirifica in paſcendis animis vigilantia, flagrans in bonis diſciplinis amor, atque in literarum ſtudioſos, & bonarum artium cultores propenſa volūtas. Id quod ſatis declaras, cùm tantum curæ tibi ſit collegium Laudunenſe in illuſtriſſima Pariſiorum Academia conditum, vt nihil prius habeas, quantáque poſſis maxima, beneuolētia & fauore proſequaris, qui ibi gnauiter dant operam literis. Omitto humanitatem, comitatem, manſuetudinem in te eſſe tantas, vt meum & omnium hominum animos ad te pellicias. Quocirca vt in me recognoſcas quàm illuſtre ſit & inſigne liberalia præſertim ingenia adiuuare, beneficiíſque ornare, non modò Iatrica theoremata noſtra tibi nuncupare, ſed quo virtutis tuæ laudem, nominíſque gloriam ſempiterna memoria poſteris colēdam relinquerem, ego qui ferè omnes Philoſophiæ partes in methodica compendia coëgi, hoc inſtitutionis Moralis (quam vno nomine Iſagogethicam inſcribere placuit) monimentum tibi dedicare volui, quod illa virtutum deſcriptio, tibi virtutibus ornatiſſimo aptè quadrare videretur. Idque etiam ardentius feci, quod quemadmodum Medica pridem problemata noſtra authoritate tua non leuiter armata, tribúſque fortiſſimis turribus tuis obuallata, aduerſus oppugnatorum impetum ſtrenuè propugnaui, ſic intrepidè omnes aduerſariorum ictus in noſtram ISAGOGETHICAM tui nominis clypeo tectam, me eluſurum eſſe confide-

rem. Huncigitur laborem (præſul ampliſſimè) à me olim elucubratum, ac nuperrimè recognitum eo animi candore, quo authorem ſuum aliquando complexus es, ſuſcipe. Vale. Lutetiæ Pariſiorum, è tuo collegio Laudunenſi, Calend. Septembr. 1586.

AD N. ABRAHAMUM DOCTOREM MEDICVM ΦΙΛΟΣΟΦΟΤΑΤΟΝ.

AEGROTOS curat, ſeruat Medicina valentes,
Phœbea cum doceat corporis auxilia.
Ethica dux vitæ, cultrix morúmque magiſtra,
Virtutes pandit, mentis in omne decus:
Sic quibus auxiliis animi fera monſtra domentur
Edocet, & mentis ſubiicit imperio.
Hinc, dum vtramque, ſagax Abrahâme, iam excolis artem,
Tu ſimul es Medicus corporis, atque animi.

P. MASVERIVS
LINGONENSIS,
Medicus.

N. ABRAHAMI
ISAGOGETHICA.

DE FINE ATQVE SVBIECTO
ETHICÆ SCIENTIÆ.

ETHICA *doctrina in virtutibus ad benè, beatéque viuendum pertinentibus explicãdis occupatur. Moralis enim ſcientiæ finis eſt beatitudo, quæ animi actio eſt virtuti conſentanea.* c.1.2 4.&7 l 1 Ethic. cap. 7. li. 1.

DE VIRTVTIS DEFINITIONE ac diuiſione.

Virtus eſt bonus rationalis vis animi habitus, quo ipſa munus eius probe exequitur. Quemadmodum virtuti contrarium vitium malus eſt eiuſdem vis animi habitus quo illa ſuo officio malè fungitur. Eſt autem rationalis vis animi duplex, altera quidem per ſe rationis particeps, quæ propriè rationalis dicitur, altera duntaxat rationis compos per obſequium quòd rationi præſtat, quæ ὀρεκτικὴ, *id eſt appetitoria nominatur. Hinc virtutum aliæ ſunt* διανοητικαὶ, *id eſt mẽtis, aliæ* ἠθικαὶ, *id eſt moris. Virtutes mentis, illæ ſunt quę facultatem animi rationalem propriè dictam illuſtrant, vt quæ vera & falſa ſint rectè cognoſcat. Illa porrò* λογιστικὴ *facultas duplex eſt, vna* ἐπιστημονικὴ *ſciendi, altera* βουλευτικὴ *conſultandi. Vnde rationis virtutes duæ ſunt, ſapientia, & prudentia.*

c.6.l 2. — c.vlt l. 1. & c.1.l 2. — c.1.l. 6.

DE MENTIS VIRTVTIBVS, AC primum DE SAPIENTIA.

ca 5 l. 6 *Sapientia eſt virtus in facultate ſciendi poſita, qua res vniuerſas quæ ſecus euenire non poſſunt contemplamur.*

c. 6. l. 6. *Eius partes duæ ſunt, intelligentia & ſcientia. Intelligentia eſt habitus qui circa principia rerum intelligendarum verſatur.*

ca. vlt. li. 1. mag. moral. *Principia autem ſunt ea quæ demonſtrari non poſſunt, ſed rerum ſenſilium inductione diſcuntur.*

ca. 3. li. 6. Ethic. *Scientia eſt habitus demonſtratiuus quo percipimus concluſiones neceſſarias per ſuas cauſas & principia.*

ca. 7. lib. 6. *Sapientia igitur intelligentia eſt ac ſcientia eorum omnium quæ ſunt præſtantiſſima. Eſt enim ſapientis non ſolum ea intelligere quæ principiis concluduntur, ſed rerum etiam cauſas tenere. Contrarium ſapientiæ vitium eſt inſipientia, quæ rerum vniuerſarum & neceſſariarum ignorantia eſt.*

DE PRVDENTIA.

Prudentia eſt virtus in facultate conſultatrice conſiſtens, qua ſingulas res agendas quæ ſecus euenire poſſunt, cognoſcimus. ca. 5. l. 6. *Prudentia igitur eſt habitus vera cum ratione ad ea agenda idoneus quæ vitæ hominum conducunt vel obſunt.*

Prudentiæ partes duæ ſunt, εὐβουλία, *id eſt bona conſulta-* cap. 7. & 9. l. 6. *tio, &* σύνεσις, *id eſt ſagacitas. Bona autem conſultatio quæſtio quædam eſt. Qui enim conſultat, is quærat aliquid, ac ratiocinetur neceſſe eſt.*

Omnino autem is ad capiendum conſilium aptus eſt, qui ratione poteſt quod homini ſummum bonum agendum ſit exquirere. Bonum ſiquidem conſilium eſt recta via & ratio vtilis ad perueniendum quò perueniri, & quomodo & quando ratio, æquitáſque patiatur.

c. 10. l. 6 *Sagacitas ex qua ſagaces nominamur, eſt qua benè iudicamus.*

mus. Cùm enim adhibetur opinio & ſententia ad ea iudicanda omnia quę prudentiæ ſubiecta ſunt, alio dictante, tum ſagacitas dicitur. Sententia autem ex qua bene ſentire dicimur, iudicium eſt prudentis & boni viri. c.11.l.6. *Prudẽtiæ cõtraria eſt imprudentia, quæ ſingularum rerum agendarum ignorantia eſt. In quod vitium facillimè incidunt qui ſine conſilio & iudicio, vt equi effrenati præcipites agunt, quia nullum rectæ rationi locum relinquunt.*

De Arte.

MEntis virtutibus adnumeratur ars, habitus ad faciendum aliquid vera cum ratione idoneus. c.4.l.6. *Cui aduerſatur inertia, habitus cum ratione falſa faciẽdi quippiam quod aliter euenire poteſt. Et cum aliud effectio, aliud actio ſit, habitus is qui rationem ducem in faciẽdo ſequitur, ab eo differt qui in agendo cum ratione eſt.*

DE VIRTVTIBVS MORALIBVS.

EXpoſitis virtutibus mentis, ad virtutes tranſeundum eſt quæ morales appellantur, quod more omnino comparentur, c.1.l.2. *nec natura nobis ingenerentur. Sunt autem morum virtutes habitus cum electione coniuncti,* ca.6.li.2. *& in ea poſiti mediocritate quæ nos attingit, rationéque ſic definita vt prudens præſcripſerit. Mediocritas verò duorum vitiorum eſt, quorum alterum eo quod ſuperat, alterum eo quod parum eſt cernitur, ídque vel ob id maximè quod alia vitia in affectibus & actionibus decorum, modúmque tranſeãt, alia ab eo deficiãt, in quibus virtus & inuenit & ſeruat mediocritatem. Mediocritas porrò in qua virtus poſita eſt, exceſſúſque ac defectus in quibus vitium conſiſtit, & in cauſis propter quas actiones fiunt, & in ſubiectis circa quæ verſantur actiones, & in tempore & modo quo actiones fiunt, aliíſque eiuſmodi adiunctis cernuntur.*

Virtutes autem morales appetitoriam animi vim dirigunt & moderantur, vt appetitus rationi obediant, ac morem gerant. Appetendi verò facultas duplex eſt, ἐπιθυμητικὸν, id eſt concupiſcibilis vna, qua expetimus bonum, altera θυμοειδὲς, id eſt iraſcibilis qua repellimus malum. Bonum autem priuatũ eſt, aut publicum, itémque malum. Bonum priuatum, quemadmodum & malum triplex eſt, externum, corporis, & animi. Vnde virtutum moralium aliæ priuatis, aliæ publicis in rebus verſãtur. Virtutes quæ priuatis in rebus cernũtur ſunt temperantia, manſuetudo, & magnanimitas.

DE TEMPERANTIA.

Temperantia eſt virtus quę temperat concupiſcendi vim, in bonis corporis & externis vt recta ratio præſcribit, expetendis. Itaque temperantia duplex eſt, altera quæ ſic propriè dicitur, altera quæ modeſtia appellatur.

ea.10.l.3. *Temperantia propriè dicta eſt mediocritas in his corporis voluptatibus poſita quæ ex guſtatu, tactúque percipiuntur in eſculentis, potulentis, rebúſque venereis. Temperans enim eſt qui concupiſcit, & percipit voluptatẽ & cuius rei cauſa, & quibus ex rebus, & quando & quemadmodum decet. Temperantia igitur inter duo vitia conſiſtit, vnum quod in voluptatibus modum egreditur, alterum quod ab eo deficit. Vitium quod in voluptatibus concupiſcendis, & fruendis modum tranſit, intemperantia dicitur.*

Intemperans enim is eſt qui iis delectatur rebus quibus nõ decet, vel plus quàm ratio poſtulat, vel quando non decet. Quod in fruẽdis voluptatibus modum deſerit, nimia abſtinentia appellari poteſt. Eſtque ipſa cum quiſpiam à corporis voluptatibus nimium abſtinet, non honeſti cauſa,

ſed auaritiæ aut gloriæ ſtudio ductus. Iſque ſanè ſtultus & ſenſus omnis expers videtur eſſe, cū res externas corporis ſaluti anteponat. Modeſtia in bonis externis vt diuitiis, honoribus, & dignitatibus vt decet expetendis cernitur.

Modeſtus igitur is eſt qui bona externa expetit, cuius rei cauſa decet, & eas dignitates quibus ſit dignus, & gloriã quærit ex iis factis, vnde & quemadmodum quærenda eſt. c.4.li.4

Modeſtiæ contraria ſunt auaritia, ambitio, ſuperbia, quę vitia ſunt in exceſſu poſita, & negligentia quæ in defectu cernitur.

DE MANSVETVDINE.

MAnſuetudo eſt virtus quæ iraſcendi facultatem manſuefacit & moderatur, ne in proprio malo repellendo, vlciſcendáque iniuria ſibi aut ſuis illata modum trãſeat, aut deſerat. Manſuetudo enim iram reprimit ne vlciſcatur, ſed potius toleret leues iniurias. Nonnunquam etiam iræ laxat habenas ad vindicandas & repellendas graues iniurias.

Manſuetus igitur is eſt qui & quibus de cauſis, quibúſque hominibus dedecet non iraſcitur, quibus autem de rebus, quibúſque hominibus decet iraſcitur, quíque id facit quemadmodum, quando & quandiu decet. Manſuetudo autem mediocritas eſt inter iracundiam quæ iræ exuperantia eſt, & lentitudinem, quæ iræ eſt defectio. ca.5.li.4.

DE MAGNANIMITATE.

MAgnanimitas vt nomen ipſum ſignificat magnis in rebus expetendis vel declinandis cernitur. Nulla autem res eſt præſtantior animi bono, nullúmque malum maius animi malo. Magnanimitas igitur eſt virtus c.3.l 4.

quæ bona animi, vt virtutes, decora, omniáque honeſta vt decet concupiſcit & perſequitur, maláque animi vt vitia, dedecora, turpiáque omnia timet & fugit. Quocirca videtur magnitudo animi, quaſi ſplendor quidam & ornamentum eſſe virtutum omnium. Magnanimo aduerſatur puſillanimus, qui magna nec expetit, nec perſequitur bona, ſed rebus exiguis omnino implicatur & inhæret. Nimium autem res honeſtas & præclaras expetere, contrariáque fugere nemo eſt qui poſſit. Itaque nulla in rebus honeſtis exuperantia eſt vitioſa, niſi nimia curioſitas, cùm quidam nimis magnum ſtudium, multámque operam in res obſcuras atque difficiles conferunt, eaſdémque non neceſſarias.

DE IVSTITIA.

Sequuntur moris virtutes quæ bonum commune ſpectant. Illæ autem duæ ſunt iuſtitia, & fortitudo. c.1, lib.5. *Iuſtitia eſt habitus quo quiſque iuſta facit & cupit facere. Ac iniuſtitia vitiũ iuſtitiæ contrarium, habitus quo iniuſta facit & cupit facere. Iuſtum autem eſt quod leges iubent, & iniuſtum id quod contra leges eſt. Leges autem ciuiles iubent omnia quæ communi omnium vtilitati conducunt, prohibéntque omnia quæ Reipub. obſunt. Iuſtitiæ partes duæ ſunt, æquitas & beneficentia.*

De Æquitate.

Æquitas eſt iuſtitia quæ ius ſuum cuique tribuit, neque cuiquam nocet inferenda iniuria. Æquitati autem contraria eſt iniquitas quæ ſuum cuique non diſtribuit, aut alicui nocet. Æquitas igitur neque plus, neque minus cuique impertit ca. 5 li. 5. *quàm æquum eſt. Iniquitas autem plus aut minus æquo alicui impertit. Æquum enim medium eſt eorum quę iniqua ſunt. Iniqua verò ſunt plus & minus. Æquum autẽ tribuitur, cum ſuum cuique redditur, neminíque nocetur. Æquitatis quæ in*

iure cuique tribuendo verſatur, ſpecies ſunt religio, pietas, obſeruantia, fidelitas, bona fides, gratitudo. Religio eſt quæ debitum Deo cultum tribuit. Religio etiam pietas appellatur, religioníque contrarium vitium impietas, qua quis debitum Deo cultũ non tribuit, contráque religionis præcepta facit. At propriè pietas eſt quæ parentibus & liberis & cæteris ſanguine iunctis debita officia præſtat. Huícque contraria impietas eſt qua quis debitum parentibus aut liberis officium non præſtat. Obſeruantia eſt quæ ſuperioribus obedientiam, debitáque viciſſim ſubditis officia tribuit. Huic aduerſatur inobedientia. Fidelitas quæ in rerum contractarum fide ſeruanda verſatur. Fides autem vt placet Stoïcis, quia fiat quod dictum eſt, appellatur. Fidelitati contraria eſt infidelitas, qua quis promiſſis & conuentis nõ ſtat, cum ratio æquitáſque poſtulat. Bona fides eſt qua quis in rebus contrahẽdis ſeruat æqualitatem, nec quicquam ſimulat aut diſſimulat, vt res pluris aut minoris quàm æquum ſit vendat, emat, locet, aut conducat. Vitium bonæ fidei contrarium eſt perfidia, qua quis ſimulat ea in re eſſe quæ non ſunt, eáque vitia quæ in re eſſe norit reticet, omninóque quod ſciat ipſe, id ignorare emolumenti ſui cauſa vult eos quorum interſit id ſcire. Gratitudo qua quis beneficiorum acceptorum meminit benéque de ſe meritis gratiã refert. Huic opponitur ingratitudo.

De Innocentia.

INnocentia eſt qua quis nemini nocet, nulla aut in perſona, aut in rebus, aut in nomine cuiuſquam inferenda iniuria. In alterius autem perſona cæde aut verberatione, & adulterio vel ſtupro infertur iniuria. In rebus autem furto, cùm res alterius clàm detrahuntur, & rapina quando res alterius vi eripiuntur. In fama verò alicuius, conuitio, & falſo teſtimonio. Innocentiæ contrarium eſt maleficium cùm quis alteri noxam

infert, ex quo nocens, nefarius, ſceleſtus, & maleficus appellatur.

De Beneficentia.

Beneficentia eſt virtus quæ beneficiis indigentes afficit, quando & quemadmodum decet, alióque nomine benignitas appellatur. Ea autem duplex eſt. Nam aut opera benignè fit indigentibus, aut pecunia. Facilior eſt hæc poſterior locupleti præſertim, ſed illa lautior ac ſplendidior & viro claro dignior. Benignitas autem quæ conſtat ex opera, eſt quæ fit conſilio, doctrina, eloquentia, artibus, cæteríſque rebus quæ ex virtute & induſtria ducuntur. Beneficentia verò quę pecunia indigentibus opitulatur, liberalitas appellatur.

De Liberalitate.

c.1.l.4. *Liberalitas igitur in dandis vt decet pecuniis cernitur. Ac inter extrema quidem duo vitia prodigalitatem & auaritiam ſeruat mediocritatem. Liberalis enim is eſt qui largitur & cuius rei cauſa & quibus, & quantum, & quando largiendum eſt, cæteráque ſeruat omnia quæ rectam & æquam largitionem ſequuntur. Prodigus autem eſt qui profundit pecunias cuius rei cauſa non oportet, & in eas res quas non decet, iiſque largitur quibus largiri nefas eſt, & plus quã par eſt, & cum minimè opus eſt. Auarus contrà eſt qui nimio pecuniarũ ſtudio ductus eas non effundit cuius rei cauſa decet, & in eas res quas decet, & in quibus opus eſt, & quantum,*
c.2.li.4. *& quando rationi eſt conſentaneum. Magnificẽtia quædam eſt liberalitatis ſpecies, quæ in ſumptuum magnitudine decorum ſeruat. Magnificus itaque eſt qui magnos ſumptus facit, cuius rei cauſa, & quibus in rebus, & quomodo & quando decet, huius autem animi habitus defectio ſordes appellatur, exuperantia luxus.*

DE FORTITVDINE.

SVpereſt fortitudo virtus quę in repellenda Reipub. illata iniuria verſatur. Fortitudo enim in metu & confidentia mediocritas eſt, quæ cernitur in laboribus, moleſtiis & periculis cùm vitæ, tum multarum rerum quæ ad vitam pertinent, omnibúſque rebus arduis & formidoloſis quas homo præſtare poteſt aggrediendis, ad propulſandam iniuriam communi ciuium ſocietati & priuatim vnicuique illatam. Itaque is fortis habendus eſt qui nimium nec metuit, nec confidit, ſed quemadmodum decet ſe gerit in iis adeundis periculis quæ aggredienda ſunt, eáque perfert cuius rei cauſa decet, & quando ratio poſtulat. Nam qui in adeundis periculis nimium confidit, metúque vacat, audax, confidénſque nominatur, qui autem nimium timet, parúmque confidit, ignauus, timidúſque dicitur. c.6. &7.l.3.

De Affabilitate.

SVnt etiam tres aliæ mediocritates finitimæ omnino quæ in communi hominum conciliatione & conſociatione tuenda quorundam dictorum factorúmque ſocietate verſantur, affabilitas, veritas, & vrbanitas. Affabilitas, eſt virtus qua quis in quotidianis congreſſibus alios facilè & libenter alloquitur, & leniter, nec faſtidioſè audit, nec duriter ſed benignè ac comiter reſpondet. Ea autem in mediocritate aſſentationis, & moroſitatis conſiſtit. In conſuetudine enim vitæ, ſermonúmque ac factorum communione, aſſentatores & blandi videntur ij, qui ad voluptatem laudant omnia, nec vlla in re aduerſantur, ne ijs quibuſcum viuunt, vllo loco moleſtiæ ſint. Qui verò ſunt his multum diſpares, & in omni re aduerſantur, nec de cuiuſquam offenſione ac moleſtia laborant, ij difficiles, faſtidioſi ac moroſi vocantur. Nec dubium quidē eſt quin vtriq. ſint in vitio. Sed qui mediū inter hos locū tenebit, eáq. omnia quæ recta ſunt, vtq; ratio præcipet probabit, reſpuétque contraria, laudabitur, affabiliſque putabitur. c.6.l.4.

De Veritate.

cap 7 l. 4. *Veritas eſt virtus qua quis verum enunciat, ac præ ſe fert ſeu factis ſeu dictis. Eſtque in arrogantiæ & diſſimulationis mediocritate poſita. Arrogans enim appellatur is qui ſibi res magnas & præclaras ſumit & vendicat cum non inſint, vel maiora quàm quæ inſint. Diſſimulator contra qui quæ inſunt, negat ineſſe, aut extenuat. Vterque autem mendax. At verò is verax eſt & vita & oratione qui medium locũ obtinet, ea in ſe ineſſe cõfirmãs quæ inſunt, nec maiora, nec minora.*

De Vrbanitate,

Vrbanitas eſt virtus quæ in iocoſis factis & dictis cernitur, inter ſcurrilitatem, & ruſticitatem ſeruans mediocritatẽ. c. 8. l. 4 *Quoniã enim requieti quoque in vita loci aliquid relictum eſt, in eáque aliquid iocis & hilaritati conceditur temporis, efficitur vt hic quoque decora quædam & apta conſuetudo congreſſióque ea & dicendi & audiendi quæ & quemadmodum & quando decet & dicere & audire, vigere videatur. Magnopere etiam refert vt perſonarum habeas tum dicendo tum audiendo rationem. Ex quo perſpicuum eſt & tranſiri in iis mediũ & deſeri. Ac illi quidẽ qui riſu ac facetiis vltra modum prodeunt, ſcurræ ac importuni habẽdi ſunt, præſertim cùm omni ex parte ridiculorum cupiditate inflãmati dent operam potius vt riſum moueant quàm vt quæ honeſta ſunt dicant, aut ne eum in quem ſcõma iaciunt, offendant. Qui autem nec facetum quid dicunt ipſi, & tamen eos qui dicunt, permoleſtè ferunt, agreſtes & duri videntur. At verò qui ſalibus & facetiis modum quendam adhibent, ii εὐτράπελοι id eſt vrbani vocãtur, quaſi εὔτροποι ideſt bonis moribus præditi. Morũ enim hæ ſunt indices motiones: vt enim corpora, ſic mores ex motionibus iudicantur.*

FINIS.

PHYSIOSSYNOPSIS
PRÆCLARA METHODO DESCRIPTA, EX ARISTOTELIS DOGMATE.

PER NICOLAVM ABRAHAMVM GVISIANVM.

Acceſſit eiuſdem ABRAHAMI tabula, in qua eximiè ſua Phyſioſſynopſis depicta, oculis ſpectanda proponitur.



PARISIIS,

Apud GVLIELMVM LINOCERIVM, in monte Diui Hilarij, ad inſigne Vaſis aurei.

M. D. LXXXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRISSIMÆ PRINCIPI,
REVERENDISSIMÆQVE DOMINÆ, D.
Renatæ Lotharingæ, Diui Petri apud Rhemos Abbatiſſæ, Nicolaus Abrahamus Guiſianus
S. P. D.

AB eo tempore (Princeps Illuſtriſſima) quo tuã cum dignitate coniunctam comitatem, ac propenſam erga me voluntatem, in baſilica præclariſſimi Ducis Guiſiani nepotis tui apud Pariſios percepi, mira tibi in perpetuum obſequẽdi me cupiditas inceſſit. Itaque cogitanti mihi ſæpius quo officij genere tibi perpetuam obſeruantiam meam ſignificarem, in mentem ſubiit vt fragrãtes amplitudini tuæ offerrem Phyſicæ flores, à me ante annos quinque in amplo Ariſtotelis campo Phyſico collectos, atque in ordinem perſpicuum digeſtos, amœniſſimum fructum literarum ſtudioſis (multorum quibus lucubrationes noſtras examinandas tradidi, eruditorum virorum iudicio) allaturos. Spero enim te noſtrum Phyſicæ hortulum, cum res contineat cognitione tua non indignas, neque à ſanctiſſima profeſſione tua alienas, haud grauatè accepturam eſſe. Nam Phyſicarum rerum cognitio non modo inge-

nuis animis digniſſima, ſed etiam religioſis hominibus in primis videtur eſſe conuenientiſſima. Quid enim illis conuenientius qui ſe omnino cultui diuino deuouerunt, quam ſæpiſſimè præclara Dei opera contemplari, ad conditorẽ ex ſuis operibus cognoſcendum? Quid illis congruentius, quam infinitam Dei potentiam, ſapientiam, atque bonitatem, in omnibus mundi partibus intueri & ſpeculari, vt ad illum admirãdum, laudandum, amandum, atque colendum flagrantiori animo excitentur? At Phyſica doctrina nihil præter admirãda Dei Optimi Max. opera profitetur. Cœlorum enim aſtrorúmque motus, figuram, multitudinem, ac diſtinctionẽ: elemẽtorum numerum, ſitum, qualitates, atque vires explicat. Vnde & vbi, quaque ratione gignantur flammæ ardentes, ſtellæ tranſcurrẽtes, cometæ, fulmina, fulgura, tonitrua, tempeſtates. quid ventus ſit, quotque eius genera, quid pluuia, nix, grando, quid ros, pruina, quibuſque ex cauſis hæc omnia oriantur, exponit. De fontibus etiam atque fluminibus, de lapidibus, de auro, argento, ferro, plumbo, cæteríſque metallis quę è terræ viſceribus eruuntur, de plantis & animalibus, adeóque de hominis natura diſſerit: ſingularum corporis partium temperamẽtum, conformationem, vſum, functionem deſcribit, omnes animæ facultates declarat. de co-

loribus, odoribus, ſaporibus cæteríſque ſenſuũ obiectis, de eorumdem organis atque intermediis, de ſenſu communi, de phantaſia, atque memoria, de appetitu ſentiente, necnon de mente, ac voluntate diſputat, omnia denique naturalia quæ mundus complexu ſuo continet corpora, eorúmque cauſas & affectiones enucleat. Quid igitur piis viris Phyſicarum rerum ſpeculatione ſanctius? Nonne Regius vates ad hãc illos hortatur, cum cœlos Dei gloriam enarrare aſſerit? Quis ignorat totum mundi theatrum tanta arte conditum, tantáq; pulchritudine ornatum, quod Phyſica ob oculos ponit, illuſtre eſſe de Deo opifice teſtimonium? Quis non videt in ſplendido mundi domicilio hominẽ fuiſſe collocatum, vt oculos circumferẽs ad conſiderandũ tanti ædificij artificium, agnoſcat eſſe Deum mentem æternam huius operis præſtantiſſimi architectatricem, atque conſeruatricem? Rectè enim diuus Paulus ad Romanos, inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt à mundi creatione intelligi ſcribit. Quod cum ita ſit, nihil cum cæteris hominibus, tũ religioſis maxime ad animorum ſalutem Phyſica cõſideratione vtilius reperiri vſquam poteſt. Ad ſanitatem verò corporibus ſanis conſeruandam, ægris reſtituẽdam, ita Medicis cognitu neceſſaria eſt Phyſica, vt ſine hac Medicinam ritè neque intelligere neque facere

poſſint. Remedia enim quibus Medici ſanitatẽ tuentur, morbóſque propulſant, ab elementis, à metallis, & lapidibus, à plantis & animalibus petuntur, quorum omnium naturas & proprietates Phyſica vna explicat, vt qui Phyſicam ignoret, remediorum etiã vires ignorare neceſſe ſit. Prætereà vt cuiuſq; artificis intereſt ſubiectam quã tractat materiam omnino perſpectã habere, quo expeditius in omnẽ artificij ſpeciẽ, & decorem flectere illam poſſit, & torquere: ita & Medico humani corporis natura cognoſcenda eſt omnibus ſuis partibus abſoluta. At corporis hominis vt cæterorum animalium conſtitutio in Phyſicis traditur. Vnde perſpicuum eſt illos, in perpetuæ obſcuritatis latebram præcipites ſe deuoluere, qui in Phyſicis non ſatis ſupérque verſati, ad Medicinam feſtinent. Quid etiam dici excògitatiuè poteſt iucũdius, quàm pulcherrimũ mundi τέχνασμα tam præclarè fabrefactum, tantóque cultu ornatum contueri? Quanta oblectatio eſt homini, magnificẽtiſſimum perſpicere palatiũ, in quo fuit à ſummo opifice poſit⁹? Quid maiorẽ homini adferre poteſt voluptatẽ, quam ſuiipſius cognitio? At hæc omnia oculis ſubiicit Phyſica, vt doctrina non iucundiſſima eſſe non poſſit. Quid verò Phyſica ſciẽtia nobilius? Quod ſi is imperio dignus non eſt habendus, qui eos non norit quibus præeſt, profecto

ingenui hominis eſt, quē conſtat eorū omnium quæ vniuerſum complexu ſuo coercet dominū eſſe conditū,omnia quæ cœlo, igne, aëre, aqua, terráque continentur tenere. Quæ omnia qui teneat an non cæteris hominibus tantū præſtabit, quantum ipſe aliis animantibus antecellit? Itaque Phyſica diſciplina tantā vtilitatem,oblectationémque,& dignitatē habet, vt cum cæteris philoſophiæ partibus comparata, eas longe ſuperare videatur. Quamobrem noſtram inſtitutionē Phyſicā, quoniā hæc diſciplina præſtātiſſima, multíſque nominibus cōmendatiſſima eſt,tibi dominæ pręclariſſimæ,omnibúſque laudibus cumulatiſſimæ conſecrare non dubitaui. Naturæ enim dona in te magna ſūt,virtutíſq;ornamēta induſtria & ſtudio tuo parta multo maiora. Glorioſum ſiquidem te ex nobiliſſima atque illuſtriſſima Guïſiana familia natam eſſe,lōgéque glorioſius quod abnegatis momentaneis aulicæ vitę honoribus,mundaníſque pompis, ſanctiſſimā religionis profeſſionē elegeris, quā ita ſtrictè obſeruas,vt ne tantillū quidē à ſacroſanctis cultus diuini regulis deſciſcere videaris. Honorabile profecto te ſolerti ingenio donatā eſſe, ídq; multo etiā honorabilius cenſeri debet,quod tuā ingenij ſolertiā in legendis & meditandis ſacris libris, & in concionibus inſigniū Theologorū audiendis cōtinuò exerceas. Id ve-

rò perpetua laude eſt digniſſimũ quod ardẽs in diuina religione zelus, veráque pietas (cuius ſacra Diui Petri ædes apud Rhemos à te de integro extructa teſtis eſt) flagrans in bonis artibus ſtudium, ſingularis erga viros de literis optimè meritos beneuolentia, humanitas, manſuetudo, gratia, omnes denique illuſtriſſimi Cardinalis Lotharingi fratris tui virtutes, quę illum ad cœlũ vſque extulerũt in te relucere videãtur. Quocirca amplitudo nõ ſolũ generis ac nominis tui, ſed multo magis bonitatis & virtutis tuæ, prorſus mihi perſuaſit, vt noſtrũ Phyſicæ cõpendiũ quo tibi perpetuũ obſequium meum declarare volui, te liberaliter ſuſcepturã eſſe, illúdque in tuã clientelã cõmiſſum vna cũ authore à maleuolorum calũniis tutiſſimũ ferè crederẽ. Quẽadmodũ enim ſubditi ſub principũ ſuorum clypeis tecti exterorũ iniurias nequaquã metuũt, ſic neque Guïſianus ego in Guiſianæ principis fidem receptus zoilorum obtrectationes flocci quidem facio. Vt igitur noſtrum munuſculum tibi gratum ſit, ſupplex etiam atque etiam rogo. Vale Princeps humaniſſima, ac Abrahamum in numerum tuorum cliẽtum adſcribe. Pariſiis, è collegio Laudunenſi, pridie cal. Auguſti, 1586.

AD N. ABRAHAMVM PHYSIOLOGICI LABYRINTHI DÆDALVM, ET cuiuſuis ſphingis Oedipũ perſpicaciſſimum.

SI tua prodiſſent ſeclis monumenta vetuſtis
Iſta, Palatino ſuſcipienda Deo,
Crede mihi, numerum Diuorum altaribus augẽs
Panchæo his caleas, lectus, odore Deus.
Námque Deum dixerẽ Erebo cœlóque potentem,
Lumine luſtratum cuius, inane Cahos:
Scandit Ariſtoteles ſtellata hoc trãmite templa,
Ordine quòd ſophico luſtret inane Cahos:
At tuus eſt ſophici tam princeps ordinis ordo,
Riuulus vt fontis fons queat eſſe ſui.
Vera fides: ex fonte tui fluit ordinis altus
Iuppiter, & quicquid Iuppiter imus habet.
Num malè iunctarum diſcordia ſemina rerum
Qui ligat, eſt orbis Dux, pater, imò Deus?
Ergo, Abrahâme, Deus votis aſſueſce vocari,
Mollis & hinc aras imbuat agna tuas.
Sin, quia conſortem non fert immẽnſa poteſtas,
Eſt ſcelus immenſi nomina ſumpſſe Dei,
Te Deus ante alios ſaltem Regnator adoptet
Diuina humanum quem ferat arte Deum.

Ianus Edoardus DV MONIN PP.

EIVSDEM AD LECTOREM.

TAntalia flagrare ſiti iam deſine, Lector,
Vt cuncta ex docto fonte creata bibas:
Quicquid habet Tellus vitreo circunſona Ponto,
A gemini quicquid Sol videt axe poli,
Omnifluum, iſta ſcopas concludens concha ſolutas,
Oceanum, cupida fauce bibiſſe iubet.
Hoc opus, hic labor eſt, ſed nec labor iſte grauabit
Autorem, merita ſi tibi laude viget.
Jmo Abraham merita tibi iam ſi laude vigebit,
Cætera millena condita claue feres.
Quas at, ais, grates meritis pro talibus illi?
Tanta vt Lethæas gratia vitet aquas:
Hæc Charis, autori geminam ſi tu exſtruis aram,
Quæ cum prole patri fumet Ariſtoteli.

IN METHODICAM N. ABRAHAMI DOCTORIS MEDICI PRÆSTANTIſſimi Phyſiologiam.

VInceret vnde alios Phœbea Abrahamus in arte
Ignôtum pridem, nunc mihi cauſſa patet,
Naturæ ſiquidem penetralia ſacra volutans,
Ornauit mentem dotibus eximiis.
Æthereis nouit quicquid ſpatiatur in oris,
Et lunæ quicquid clauditur orbe vago.
Et quot marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus,
Et quæ Plutonis ſub ditione iacent.
Omnia Pergamidæ voluit monumenta Galeni,
Hippocratis Coï dogmata docta tenet.
Morborum magno cognoſcit acumine cauſſas,
Vt cunctis addat pharmaca ſana malis.
Abdita naturæ comprahendit ordine tanto,
Vt breuitatem omnes vtilitate probent.
Quî poterit medica toties verſatus in arte,
Et ſophia, medicas non adhibere manus?

PETRVS MASVERIVS Lingonenſis Medicus.

IOANNIS TRIQVENÆI COLLEGII LAVDVNENSIS APVD PARIſios primarij, in præclaram NICOLAI ABRAHAMI inſignis Philoſophi, ac Doctoris Medici Phyſioſſynopſin, Hexaſticon.

AD LECTOREM.

HOC opere (ô Lector) naturæ arcana recludit
Abrahamus, condus, promus Ariſtotelis.
Nam quæ ſparſa legũtur in hoc, hic arcta videbis,
Vt mirere Sophum: multo mage at Medicum,
Cum poſt, Hippocratem verſans, verſanſque Galenum,
Curabit multos ipſe manu medica.

N. ABRAHAMI PHYSIOSSYNOPSIS.

DE PHYSICÆ ET PHYSICI CORPORIS DEFINITIONE.

PHYSICA *eſt ſcientia quæ in corporibus naturalibus, corúmque principiis ſeu cauſis & motibus, aliíſque affectionibus explicandis conſiſtit. Corpora enim naturalia ſunt Phyſicæ ſubiecta.* Ex cap. 1. li. 1. de cœlo, & cap.. 1 l. 3.

Corpora naturalia ſunt quæ natura conſtant. Naturam autem habent ea omnia in quibus principium motus & quietis ineſt, atque hæc omnia ſubſtantiæ ſunt. Natura enim eſt principium & cauſa motus & ſtatus eius in quo eſt primo, per ſe, non per alium, alienáque vi. ca. 1. li. 2. de nat.

Corpora autem naturalia omnia mundus in ſe complexu ſuo continet. Eſt enim mundus compages & ordo digeſtióque vniuerſorum corporum quæ à Deo & per Deum aſſeruatur. ca. 1. lib. de mundo ad Alex.

Vnde vnum duntaxat mundum eſſe perſpicuum eſt. Nam cum mundus ex omnibus corporibus quæ natura effecit conſtet, nulla materia extra relicta eſt, ex qua alij mundi conſtare poſſint. Veluti hominis materia cum in carne ſit & oſſibus, ſi ex omni carne & omnibus oſſibus quæ occidere non poſſent homo ca. 9. li. 1. de cœlo.

efficeretur, alius homo eſſe non poſſet. Quare vnus tantum mundus eſt, qui ideo vniuerſi nomen obtinet.

DE CORPORVM NATVRALIUM principiis.

c. 7 l. 1. & c. 5. & 6 lib. 8. Phyſ.

CORPORVM *naturalium cauſæ ſeu principia communia duo ſunt, vnum extra ipſa corpora, alterum intra poſitum. Illud autem primum rerum naturalium principium, eſt primum mouens & immobile quod vnum æternúmque eſt, id eſt Deus.*

c. 7. & 9. li. 1. Phyſ.

Principium verò internum eſt duplex, materia ex qua per ſe, non per aliud corpora naturalia fiunt, & forma per quam ea ſunt id quod ſunt.

Materiáque comparata formæ eſt tanquam ſubiectum in quo forma recipitur, forma vero comparata materiæ eſt quaſi adiunctum quod materiæ adhæret. Materia autem varias & diuerſas in ſe recipiendi formas ſuapte natura poteſtatē habet. Cùm enim ea forma quam continebat priuatur, aliã habet formam, cúmque eã amittit, aliam denuo induit, & ita deinceps aliam atque aliam formam recipit. Itaque materia communis omnium rerum ſemper manet tanquam ſubiectum & receptaculum commune diuerſarum formarum, non autem vnius & eiuſdem corporis materia, vniuſque formæ ſubiecta. Materia enim perpetuo appetit nouam formam. ſiquidem illa formam ita deſiderat vt marē fœmina, & res turpis pulchritudinem. Quia forma eſt diuinum quiddam quod & bonum & expetēdum eſt. His autem duobus principiis additur priuatio quæ cōtraria eſt formæ Priuatio enim hîc eſt noua formæ quã materia appetit defectus. Quæ priuatio niſi in materia eſſet nũquã

c. 7. 8. & 9. lib 1.

materia eã quã habet formã abiiceret, nullámque nouã accipe ret: tamẽ forma noua, qua priuata eſt materia, aduenıẽte priuatio perit, materiáque & forma remanent. Itaque materia & forma ſunt principia rei conſtitutę, priuatio autem occaſio eſt rei conſtituendæ. Quare illa principia ſunt per ſe, priuatio verò principium per accidens.

DE CORPORVM NATVRALIVM motu, loco, tempore.

MOtus Phyſicus eſt actus quo corpus naturale reipſa & actu fit id quod eſt poteſtate. Iſque ab eo quod mouet tã quam ab agente proficiſcitur, & in illo quod mouetur vt in patiente recipitur. Ideóque motus ratione mouentis actio, ratione mobilis paſſio & affectio dici poteſt. Motus Phyſici genera ſunt ſex; duo in eſſentia ortus & interitus, duo in quantitate accretio & decretio, vnum in qualitate commutatio, & alterum in loco φορὰ latio. Ortus qui ſimplex dicitur, eſt motus quo ſubiectum corpus formam ſubſtantialem quam recipere poteſt, adipiſcitur. Vt autem forma ſubſtantialis in ſubiectum corpus introducatur, priorem formam qua id preditum eſſet expelli neceſſe eſt. Interitus eſt motus quo corpus ſubiectum eam formam ſubſtantialem amittit.

c 1.2. 3.l.3. Phyſ.

c. 1.2.3.4.5 l.1. de ortu & interitu.

Accretio eſt motus quo corpus maiorẽ accipit magnitudinẽ, ad quam recipiendam eſt aptum. Decretio eſt motus quo ſubiectum corpus minorem obtinet magnitudinem.

Commutatio eſt motus quo corpus ſubiectum aliã qualitatẽ quam recipere poteſt accipit, remanẽte ſalua & integra eius ſubſtantia. Latio eſt motus quo corpus ex vno loco in alium fertur. Is autẽ motus quo per locum corpus mouetur aut rectus eſt aut in orbẽ circúnque fertur, aut ex his mixtus & cõcretus eſt.

c.1.l.1. de cœlo.

Ac is quidem in orbem fertur qui circum medium voluitur, rectus qui in ſublime deorſúmque fertur, in ſublime autem fertur is qui à medio, deorſum verò is qui in medium fertur. Sunt & aliæ affectiones Phyſicæ vt locus & tempus.

c.4 l. 4 de nat. c.11.l.eiuſ. *Locus Phyſicus eſt ſubiecti continentis corpus naturale primus terminus, primo & per ſe immobilis. Tempus rerum naturalium eſt numerus motus Phyſici ſecundum prius & poſterius.*

DE CORPORIBVS SIMPLICIBVS ac primum de COELO.

ca.2.li.1 de cœlo. *CVM ea quæ omnibus corporibus naturalibus inſunt & conueniunt expoſita ſint, nunc ad ſingulas corporum naturalium ſpecies veniendum eſt. Corporum naturalium alia ſimplicia ſunt, alia ex his mixta. Simplicium autem genera duo ſunt, cœlum & elementa. Cœlum eſt corpus ſimplex quod in orbem circúmque cietur.*

Quod cœlum ſit grauitatis & leuitatis expers.

c.3.l.eiuſd. *QVONIAM graue eſt id quod naturæ vi ad medium mouetur, leue autem id quod à medio, perſpicuum eſt in eo corpore quod circum medium verſatur nec grauitatem vllam nec leuitatem eſſe vllo modo poſſe. Neque enim natura, nec contra naturam vel ad medium vel à medio moueri poteſt. Nam motus quo recta linea feratur, ei à natura tributus non eſt: Vnus enim vniuſcuiuſque ſimplicium dictus eſt eſſe. Si verò contra naturam feratur, & is quo deorſum fertur ſit contra*

contra naturam, is quo ſupera petet naturalis erit, & ſi præter naturam ſit iſte, naturalis erit ille. Contrariorũ enim quorum vnus alienus naturæ eſt, naturalis eſt alter.

Quod cœlum ſit ortus & interitus, accretionis & decretionis, commutationíſque expers.

COelum autẽ expers ortus eſt & interitus, accretioníſque & diminutionis, ac commutationis. quod omne quod oritur, ex contrario & ſubiecto quodam oriatur, & contra ſubiecta aliqua materia, à cõtrario & in contrariũ occidat. At contrariorũ motus etiã ſunt contrarij. Si ergo huic nihil contrariũ eſſe poteſt, propterea quod motui etiam qui in orbem circúmque fertur motus nullus aduerſetur, rectè natura id quod originis & interitus expers futurum erat, exemiſſe ex contrariis vidètur: quandoquidem ortus & interitus in contrariis cernũtur. Quinetiam omne quod augeſcit augetur, & quod decreſcit, decreſcit eius quod eiuſdem eſt generis & acceſſione, & in materiam abſceſſione. At nihil eſt ex quo hoc habuit òriginem. Conſentaneum etiam idem non eſſe commutabile, cum præſertim commutatio ſit contrariæ qualitatis in contrariam mutatio, ídque nullum recipiat contrarium. cap. eod.

Quod cœlum ſit æternum & immortale.

ILlud etiam ſempiternum & immortale eſſe, cum ortu & interitu careat, nec acceſſionem habeat nec abſceſſionem, ab omníque ſenectute & commutatione liberum ſit, conſtat. Ideóque cap. eod.

C

omnes ſummum locum diuino cuidam numini aſſignant, tum Græci tum Barbari, quiquidem Deos eſſe putant, vt ſcilicet aptè immortali attribueretur immortale: neque enim aliter fieri poteſt. Præterea omni præterito tempore, quantum ex memoria quam alij ab aliis traditam accepimus, intelligi poteſt, nulla aut in toto ſummo cœlo, aut in vlla eius parte conſecuta videtur mutatio. Itaque veteres ſummum locum æthera appellauerunt, à perpetuo curſu, quem æterno tempore conficeret.

Notandum autem Chriſtianam religionem apertè negare mundum ingenitum & æternum eſſe, cum initio Geneſeos Moſes in principio cœlum ac terram, vniuerſáque a Deo condita fuiſſe dicat, & Dauid, verbo Domini cœlos firmatos fuiſſe, & ſpiritu oris eius, & Ioannes omnia per ipſum facta eſſe.

Quod cœlum ſit finitum.

cap. 5.

Corpus quidem quod circum medium torquetur finitum eſſe, ex his perſpici poteſt. Si enim infinitum ſit corpus, quod in orbem incitatur, infinitæ erunt eæ lineæ quæ à medio ducentur. Ac earũ quæ infinitę ſunt immenſum interuallum eſt. Linearum autem interuallum id dico, extra quod nulla magnitudo, quæ lineas contingat, ſumi & notari poteſt. hoc igitur infinitum ſit neceſſe eſt. Quandoquidem earum quę finitę ſunt, finitum ſemper eſt interuallum. Præterea in eo quod datum eſt, ſemper maius notari licet. Ita quemadmodum numerum dicimus infinitũ, quod non eſt, nec datur maximus, ſic etiam interuallum. Quod ſi id quod infinitum eſt, tranſiliri non poteſt, & poſita infinitate corporis interuallum infinitum neceſſe eſt eſſe, certè moueri in orbem corpus illud non poſſet. At cœlũ in orbem ferri cernimus. Ad hæc ſi quod infinitum & immenſum eſt vel quã minimũ moueatur, immenſum tẽpus eſſe oportebit. Atqui

cælum totum circum ſe torquetur atque vertitur finito tempore. Itaque circum interiorem orbis partem veluti A B, quæ finita eſt vertitur. Quod igitur in orbem fertur infinitũ & immenſum eſſe nullomodo poteſt. præterea quemadmodum linea cuius finis eſt & terminus, immenſa eſſe non poteſt, ſed ea demũ quæ immenſam habet longitudinem, ſic etiam extremitas qua ex parte eſt terminus non poteſt Cum autem definita eſt nullomodo ueluti quadratum infinitum, circulus vel globus, quemadmodum nec aliquid quod eſt pedale immenſum poteſt eſſe. Quod ſi nec ſphæra; nec quadratum, nec circulus infinitus eſt; & non extante circulo ne ei quidem motui qui in orbem incitatur loci aliquid relinquetur, & ſi non eſt circulus infinitus, nec cõuerſio eſt infinita, profectò niſi ſit immenſus orbis, corpus immenſum in orbem non verſabitur.

Quod cœlum ſit rotundum.

COeli autem figura globoſa & rotunda ſit neceſſe eſt. hæc enim & eſſentiæ apta eſt & accommodata maximè, & prima naturæ ordine. Primum autem de toto figurarũ genere quænam prima ſit tam in planis quàm in ſolidis dicamus. Omnis igitur figura plana aut lineis in rectum ductis, aut linea in orbem inflexa continetur. Ac ea quidem quæ lineis in rectũ ductis concluditur pluribus lineis, inflexa autem in orbem vna tantum circumſcripta eſt. Quoniam autem in quoque genere naturæ ordine prius eſt & antiquius id quod vnũ eſt pluribus, & quod ſimplex eo quod ex pluribus conſtat, profectò in planis figuris circulus principatũ obtinet. præterea ſi id perfectũ eſt, à quo pars nulla abeſſe poteſt, & ad rectã lineã acceſſio fieri poteſt, rotũdæ autẽ nihil addi poteſt, perſpicuũ eſt eã perfectam eſſe, qua orbis cõtinetur. Ita ſi prius eſt id quod perfectũ eſt eo quod inchoatũ, ex his etiã prima figurarũ planarũ erit circulus. c. 4. l. 2. de cœlo.

Eadẽq; ratione globus in ſolidis primũ locũ tenebit: ſolus enĩ hic vna extremitate cõtinetur. Quæ autẽ rectis lineis cõſtant, pluribus. Quẽ enim locũ in planis figuris circulus, eũ in ſolidis ſphæra id eſt globus tenet. Quoniam igitur prima figura primi eſt corporis, primum autem corpus eſt in extimo orbe, globoſum ſit neceſſe eſt, id quod in orbẽ circũmque fertur. Præterea quoniam conſtat & poſitum eſt vniuerſum cælum in orbem ferri, ac extra ſummum orbem nec inanitas eſt, nec locus, ob has etiam cauſas rotundum ſit neceſſe eſt. Si enim rectis lineis cõcludatur, ita fiet vt & locus extrinſecus ſit & corpus inane. Quod enim recta linea deſcriptum eſt, id ſi in orbem torqueatur, locum eundem nunquam tenebit, ſed vbi prius erat corpus, nunc non erit, & vbi nunc non eſt, rurſus erit, propter angulorum ſuccedentium viciſſitudinem. Quod etiam fiet ſi qua alia figura, quæ à medio non pares radios, qualis eſt lentis vel oui ductos habeat. In omnibus enim efficietur, extra circumuectionẽ, & locũ eſſe & inanitatem, quod totum non eundem locum obtineat. Itaque ſi cælum in orbem voluitur ac verſatur, globoſum ac rotundum ſit neceſſe eſt.

DE ORBIBVS COELESTIBVS ET aſtris quæ in eis ſunt.

ca. 1. lib. de mundo. ad Alex.

ATque hoc de cælo generatim dictum ſit, ſequitur nunc vt de ſingulis cælis ſiue cæleſtibus orbibus, ac de aſtris quæ in ipſis ſunt dicẽdum eſſe videatur. Primùm igitur cælum diuinis corporibus plenum eſt, quæ ſydera nos appellare ſolemus, motúque ſempiterno agitur, vnóque circumactu & orbis ductu eodẽ, peremni vtique in æuũ tenore rapta ſecum circumagit ſyderum corpora, orbéſque inferiores, ad numerum in morémque præſul-

toris. Vertitur autem circa duo puncta neceſſe eſt, inter ſe è regione obuerſa, itidem atque ſi globus in torno circumagatur. Hæc vertices appellant aut cardines, qui cum ipſi fixi ſint & immoti, alter eorum ſemper ſublimis apparet ſuper verticem ad tractum cœli aquilonarem, ab vrſa appellatus arcticus. At infra terram alter ſemper cõditus circa tractum auſtralẽ, antarcticus dictus eſt, vt cõtrarius arctico, Ea autẽ ſydera quę in primo orbe continentur errationis neſcia ſunt, & ipſi orbi infixa ſunt, cũ eóque circumferuntur eaſdem vtique ſedes, poſitúsque eoſdem tenentia. At verò reliqua aſtra erratica dicuntur, nec eadẽ ipſa celeritate cum prioribus moueri ſuaptè natura comparata ſunt, nec inter ſe inuicẽ, ſed in aliis atque aliis orbibus, ita vt orbium ipſorum partim propius ad terram accedant, partim longius ab eadem diſtẽt. Et ſtatariorum quidem numerus iniri prorſus nequit ab hominibus: tametſi omnia in eodem orbe, eadémque in ſuperficie moueantur. At verò errabundorum numerus ſeptenario collectus in totidem orbibus ſitus eſt deinceps ſubſtitutis: ita vt ſubinde inferior ſuperiore minor ſit, ſeptémque orbes ſeſe cõplectentes inuicem atque coërcentes, à globo denique ſyderum inerrantiũ comprræhẽdantur. Huic porrò globo cõtiguam habet ſemper poſiturã Saturni circulus dictus, cui proximus eſt Iouis, poſt hunc ſequitur Martis, ab hoc rurſus eſt Mercurij, Secundum quem Veneris orbis eſt, ab eo eſt orbis Solis, & denique Lunæ, nobis citimus, ad terram vſque fines ſuos proferens. Hoc autem iure quæri poteſt cur in primo orbe tanta ſit aſtrorum multitudo, vt omnis deſcriptio numerari non poſſe videatur, in vnoquôque autem reliquorum vnum tantummodo, duo verò vel plura in eodem orbe inhærentia minime appareant. Sed intelligendum eſt cum de quáque vita & principio agitur, primã vitam primúmque principium cæteris multò antecellere. c.11.l.2 de cœlo,

Queꝗuidem hic vſuueniunt, nec iniuria, prima enim vita primúmque principium quod vnum eſt, multis diuinis naturis & corporibus motum affert: Cæteræ autem quæ multæ ſunt vnum tantum pellunt. Vnaquaq́ue etiam ſtellarum errantium multis motibus cietur. Sic ergo natura æquabilem tributionem adhibet, ordinéque quodam omnia diſtinguit, quæ & vni motui multa corpora, & vni corpori multos motus tribuit, & ob eam cauſam primus orbis plura continet aſtra, vnum autē habent cæteri orbes.
cap.10. Conſentaneum eſt autem vt vniuſcuiuſque aſtri motus pro interuallorū ratione, alij celeriores ſint, alij tardiores. Quoniā enim ponitur extima cœli conuerſio ſimplex eſſe & citiſſima, aliorúmque orbium tardiores atque plures. (vnaqueq́ue enim ſtella è regione cœli contrarióque ei motu fertur in ſuo orbe.) hoc iam conſentaneum eſt, vt & quæ proxima eſt ſimplici & primæ circūuectioni longiſſimo tempore curſum ſuū cōficiat, & quæ remotiſſima breuiſsimo: cæterarum autē ſemper quo quæq́ue propius eſt ab illa, eo maiore, quo longius abeſt, eo breuiore tēpore orbē ſuū luſtrat. Quæ enim proxima eſt facillimè ſuperatur, quæ remotiſsima difficilimè omnium propter locorum longinquitatem. Quæ autē in medio locatæ ſunt, pro interualli ratione, quemadmodum etiam Mathematici docent.
cap.7. Calor autē ab aſtris & lumen proficiſcitur, nō quod igneæ naturæ ſint, ſed quod aër ab eorum motu atteratur. Vnaquaq́ue enim ſtella quæ in ſphera mouetur, non igneſcit, ſed aër qui eſt infra naturę rotundæ orbem, cum ille fertur neceſſario caleſcit, atque ab eo maximè in quo Sol hæret. Itaque huius acceſſu &
c.4 l.1.meteor. ortu & cum ſupra nos eſt calor oritur. Cùm enim cœlum in orbem fertur, eáque corpora quæ in eo inhærent, tum ſemper ea pars inferioris mundi ac corporis quæ ei adhæret, motu ipſo ſecreta igneſcit, calorémque efficit. Figuram autē ſingulorum ſy-

derum rotundam eſſe rectè intelligere poſſumus. Similis eſt enim omnium & vnius ratio. Luna autem rotunda eſſe docetur ex iis quæ oculis noſtris apparent. Neque enim cum creſcit & ſeneſcit ſæpiſſimè vtraque ex parte curua, ſemel autem in duas partes ſecta videretur, & rurſus iis quæ ex Aſtrologia petuntur, non enim Sol cùm deficit curuus eſſet. Ita ſi vnum eſt aſtrũ eiuſmodi, non eſt id quidem dubium quin cætera etiam rotunda ſint. c.11 l. 2. de cœlo.

DE ELEMENTIS.

SEd de cœlo quidem ſatis, nunc de elementis diſſerendum. Elementum eſt ex quo primo inſito aliquid cõſtat, nec in aliam ſpeciem ſpecie diuidi poteſt. Vt vocis elementa ex quibus vox conflatur & in quæ poſtrema diuiditur. Elementa Phyſica igitur ſunt ea ex quibus corpora primum componuntur & in quæ vltima diuiduntur, illa autem non tã in alia corpora quæ ſpecie differant. Quare elementa corpora ſunt ſimplicia quę recto motu feruntur. c.3. l. 4. metaphyſ. & c.3. l.3. de cœlo.

Quod elementa numero finita & plura ſint.

SI ſuus cuiúſque elementi, ac proprius aliquis motus eſt, & ſimplicis corporis ſimplex, nec infiniti ſunt ſimplices, propter ea quod nec motus ſimplices plures ſunt duobus, nec loca innumerabilia, ne hac quidem ratione infinitus erit numerus elemẽtorum. Quoniam autem finita eſſe oportet, reſtat vt videamus vtrum vnum an plura ſint. Cũ igitur in omnibus corporibus quę natura conſtant motus principium ineſſe videatur, ſi corpora omnia vnum quiddam ſunt, vnus erit motus omnium. Sed quoniam plures ſunt vt antè expoſitum eſt, naturales motus, perſpicuum eſt fieri non poſſe, vt vnum ſit elementum. Quoniam autem nec innumerabilia ſunt, nec vnum, finita & plura ſint neceſſe eſt. c.4. l. 3. de cœlo.

Quæ ſint primarum qualitatum elementorum vires.

Calor autem & frigus faciendi, ſiccitas verò & humor patiendi vim habent. Calidum enim eſt quod ea congregat quæ ſunt eiuſdem generis, & ea ſegregat & ſeparat quæ ſunt alieni generis. Frigidum autem eſt id quod cogit & congerit tam ea quæ ſunt eiuſdẽ generis quàm quę alieni. Humidum quod determinationis ſuæ eſt expers, cum facile termino alieno coerceri poſſit. Siccum autem quod ſuo fine facile coërcetur & concluditur, non facile autem alieno. c.2.l.1. de ortu & interitu.

Quod ex primis elementorum qualitatibus aliæ ſecundę oriantur.

EX his autem qualitatibus primis aliæ plures ſecundæ elementorum qualitates & diſtinctiones extiterunt vt graue, leue, durum, molle, lubricũ, aridum, aſperum, læue, craſſum, tenue, Quæ ideo ad primas qualitates quatuor veluti durum & aridum ad ſiccum, molle & lubricum ad humidum, & ſic cateræ omnes ſecundæ qualitates ad primarum qualitatum aliquam referuntur & reuocantur. c. eod.

Quomodo collocentur elementa.

EX elementis autem ignis ſupremum locum occupat, terra verò infimum, medium verò locum inter ignem & terram obtinent aër & aqua. Ignis enim abſolutè leuis & terra abſolutè grauis. leue autem id abſolutè eſt quod ex omnibus extat & eminet, & in extremum locum fertur, vt graue quod omnibus ſubſternitur. Aer verò cum igne quidem grauis, ſed cum aqua & terra comparatus leuis eſt. Aqua etiam cum terra quidem leuis, ſed cum igne & aere comparata grauis eſt. c. 4 l. 4 de cælo & c. 3. l. 2. de ortu & int.

Quod & quomodo elementa ex ſe inuicem oriantur.

c.6.l.3.de cœlo.

QVoniam autem elementa orta ſunt aut ex eo quod vacat corpore, aut ex corpore eorum erit origo. Si ex corpore aut ex alio aut alia ex aliis. Ac eorum quidem ſententia qui illa ex eo quod vacat corpore generari volunt inane introducitur. Omne enim corpus quod naſcitur in aliquo loco exiſtit. Itaque locus in quo eſt elementum quod naſcitur, antequam naſceretur vacuus erat. Atqui in rerum natura inane non eſt. nec vero ex alio corpore elementa oriri poſſunt. Sic enim aliud erit corpus elementis antiquius. hoc porro ſi grauitate aut leuitate ſit præditum elementum quoddam erit. At vero grauitate aut leuitate ſit præditum neceſſe eſt. Si nullum enim in eo ſit pondus immobile & mathematicum eſſet, nec in loco, nec ideo corpus naturale eſſet, nihílque ob eam cauſam orietur ex eo. Quoniam igitur nec ex eo quod vacat corpore, nec ex alio corpore oriri poſſunt, relinquitur ea, alia ex aliis vltro citróque oriri.

c.4 l.2.de ortu & interitu.

Quoniam autem expoſitum eſt ſimplicia corpora alia ex aliis oriri, quis ſit mutuę eorum inter ſe mutationis ac viciſſitudinis modus dicendum eſt, & vtrum omne elemẽtum ex quoque oriri poſſit, an nonnulla poßint, alia non poſſint. Illud quidem perſpicuum eſt, omnia naturæ vi vltro citróque oriri: Ortus enim & in contraria ſit, & ex contrariis. Elementa autem omnia repugnantiam quãdam inter ſe habent, propterea quod contrariæ ſint, eorum differentiæ. Aliis enim vtræque cõtrariæ ſunt, vt igni & aquæ, cum ille calidus ſit & ſiccus, hæc frigida atque humida. Aliis autem altera tantum, vt aeri & aquæ. Ille enim humidus eſt & calidus, hæc frigida & humida. Omne igitur elementum ex quouis naturæ vi oriri poterit, ſed maiore & celeritate & tarditate, & facilitate & difficulta-

te differẽt. Quæ enim inter ſe communione quadam qualitatis iuncta ſunt, eorum velox eſt mutatio, quæ non ſunt tardior, quod facilius vnum quàm duo vertitur, veluti ex igne aër orietur, quod celerius hic ſe vertat. Ignis enim calidus eſt & ſiccus, aer autẽ calidus & humidus. Ita ſi ab humore ſiccitas vincatur, aër erit: rurſus autem ex aere aqua orietur, ſi calor à frigore ſuperetur. Nam quoniam illum calidum humidúmque poſuimus, & hanc humidam ac frigidam, propterea calore mutato aqua orietur. eodémque modo aqua in terram, & in ignem terra ſe vertet. Vtraque enim cum vtriſque aliqua ſocietate coniunguntur, quandóquidem aqua frigore humoréque prædita eſt, terra verò frigore ac ſiccitate. Ita ſi humor vincatur, terra orietur. Rurſúſque quoniam in igne ſiccitas ineſt & calor, terra autem frigida & arida eſt, ſi frigus conſumatur, è terra orietur ignis. Ex quibus perſpicuum eſt, & ſimplicium corporum ortum viciſsitudine quadam contineri, & modum hunc mutationis eſſe facillimum, propterea quod communione quadam qualitatum teneantur ea quæ deinceps ſequuntur. At ex igne aqua, & aere terra, rurſúſque ex aqua & terra aer atque ignis oriri quidem poſſunt, ſed difficilius, quod plurium ſit mutatio. Neceſſe eſt enim ſi ex aqua oriturus ſit ignis, & frigus interire & calorem: rurſúſque ſi ex terra aer, frigus ſiccitatémque conſumi. Eadémque ratione, ſi ex igni & aere aqua, terráque oriantur, vtraque qualitas vertatur neceſſe eſt. Itaque elementa ſe alia in alia vltro citróque vertere poſſunt, ſeparatis iis quæ ex proprietatibus ſumuntur diſtinctionibus, ſed manente eadem materia. c. 8. l. 3. de cœlo.

DE MIXTIONE.

Explicatis corporibus ſimplicibus ſequuntur mixta. Videndum eſt autem quid ſit mixtio, vt inde quid mixtum

c.10 l.1 de ortu & inter.

ſit, quoque modo ſimplicia corpora in mixto inſint intelligatur. Mixtio igitur eſt eorum quæ inter ſe permiſceri poſſunt commutatorum vnio. ea autem permiſceri inter ſe poſſunt, quæ cum vim agendi habeant quadam repugnantia continentur, vt pati etiam inter ſe poßint. At ea quidem reciprocantur quorum eadem materia eſt, ita vt & efficientia alia aliorum ſint, & alia ab aliis ſint patibilia. Ea autem agunt nec patibilia ſunt quorum non eadem eſt materia. Atque horum non eſt permixtio. porro eorum quæ agere & pati poſſunt, ſi multa cum paucis, aut magna cum paruis copulentur, permixtionem non facient, ſed eius quod ſuperat amplificationẽ. Alterũ enim in id quod ſuperius eſt mutatur, veluti gutta vini decem millibus amphorarum aquæ non admiſcetur. Species enim eius omnino tollitur, atque in totam aquam vertitur. At cum viribus paria quodammodo ſunt, tum vtrumque ex ſua natura in id quod vincit mutatur, ita tamen vt eorum vnum in alterum non ſe vertat, ſed vtrumque in tertium quod medium eſt, atque commune. Præterea ea facile permiſcentur, quæ in minutas partes facile diuiduntur, patibilémque naturam habẽt, & facile terminari definiríque poſſunt. Qualia ſunt humida corpora niſi forte viſcoſa ſint. Eorum autem quæ permiſcentur partes commutatas eſſe, non autem ſaluas & integras remanere oportet. Compoſitio enim erit, non temperatio neque permixtio phyſica, vt ſi hordeũ cum tritico permiſceri dicatur. Siquidem nec mixtio eadem eſt cum compoſitione, neque res in mixto eandem rationem habent, quam partes in toto. Sed neceſſe eſt id quod permixtum eſt, ex ſimilibus inter ſe partibus conſtare, vt quemadmodum qualibet aquæ pars aqua eſt, ſic quæuis pars mixti, mixta eſſe dicatur. Perſpicuum eſt igitur ex iis quæ dicta ſunt mixtum eſſe corpus id quod ex pluribus

ſimplicibus quæ inter ſe permiſceri poſſunt corporibus commutatis conſtat. Quoniam autem rerum partim eſſe poſſunt, partim reipſa ſunt, fieri poteſt vt ea quæ permixta ſunt in mixto, inter ſe ſint & non ſint quodammodo, quod reipſa ſit aliud id quod ex eis factum eſt, facultate verò ea ſunt quæ erant antequam miſcerentur, nec interierunt. nam vt ea quæ permiſcentur prius ex iis quæ ſeiuncta erant coaluiſſe conſtat, ſic rurſus ſeparari ſeiungíque poſſunt, non remanent ergo reipſa vt corpus & candor, nec alterum eorum, nec vtrúmque interit. Vis enim eorum ſalua permanet. A cæleſtibus autẽ corporibus omnis inferiorum corporum vis adminiſtratur. Quare exiſtimãdum eſt elementa eam cauſam eſſe ex qua conſtant corpora mixta, Cęlum autem eam cauſam eſſe ex qua principium motus proficiſcitur. id eſt, illa mixtorum eſſe materiam, hoc verò efficientem cauſam

DE METEORIS.

Mixtorum corporum alia imperfecta ſunt, alia verò perfecta. Imperfecta quæ minus conſtantem, minúſque ratam naturam habent, meteora appellãtur, eorúmque doctrina Meteorologia. Meteororũ cauſa efficiens eſt calor à cæli ſyderúmque vt ſolis motu excitatus. Materia verò eorum eſt exhalatio calida & ſicca fere fumi formam habens, quæ è terra manat, vel calida & humida aquæ expirationis plena quæ ab humida natura exhalatur, propriéque vapor nominatur. Locus in quo meteora fiunt aut in aëre aut in terra ſtatuitur. Aëris regio triplex in qua oriuntur, ſuprema, infima & media. Suprema eſt ea aëris pars quę igni proxima eſt ideóque calida eſt & ſicca. Infima eſt ea aeris pars quæ aquæ & terræ adhæret, ea ideo calida & humida eſt quod halitum attrahat, exhalationémque aquæ & terræ habeat, quæ calidæ ſunt ac

c. 1. l. 1. meteor.

c. 4. 5. & 9. l. 1. & c. 4. & 8. l. 2. & c. 1. l. 3 & c. 4 l. de mũdo ad Alex.

c. 4. l. 1. meteor.

humidæ vel ſiccæ. Media autem regio aeris, ea eſt quæ poſita eſt
c. 9. *inter ſupremam & infimam. Ea autem frigida & humida eſt propter vapores naturæ aqueæ qui ad hanc aeris partem virtute radiorum ſolis elati, & hac deficiente virtute refrigerati*
cap. 12. *& concreti eum locum in quo ſunt refrigerant, cum præſertim aqua ante excalefacta citius refrigeretur & congeletur. Iſque locus frigidior etiam redditur propter antiperiſtaſin & calorem ambientem atque circumfuſum. Vapor autẽ in media regione elatus & concretus nubes appellatur.*

De meteoris ignitis, ac primum de ardentibus flammis, facibus, capris, ſtellis diſcurrentibus & cometis.

cap. 5. *Meteororum quatuor ſunt genera, alia enim ignea, alia aerea, alia aquęa, alia terrea. Ignea autem ex calida & ſicca exhalatione fiunt, eorúmque alia in ſupremo aere oriuntur, vt flammæ ardentes, faces, capræ ſaltantes, ſtellæ tranſcurrentes, & ſtellæ crinitæ ſiue cometæ: alia in medio aere vt fulmina, fulgura, tonitrua. In primis igitur dicamus quæ cauſa ſit cur flammæ accenſæ & faces ac capræ & ſtellæ tranſcurrentes, & cometæ in cœlo appareant. Exhalatio calida & ſicca de terra cum à ſole caleſcit excitata ſurſum attollitur, ac quia illa fumi vim ſpeciẽmque imitatur, quacúnque ex re nacta opportunitatem orbis agitatione cui ſubiecta eſt facilè inflammatur. Ac ex ea quidem cauſa hæc oriuntur omnia. Diſtincta autem diuerſáq; ſunt inter ſe materiæ quæ inflammatur ſitu & copia. Si enim materia in latum & longum expanſa ſit, plærúmque ardens flamma conſpicitur, qualis eſt ſtipula quæ in agris comburitur. Si verò tantum in longitudinem pateat, faces notantur, capræque & ſtellæ diſcurrentes. Capręquidem cum ea materia quæ longius quam latius patet quaſi ſcintillas mittit*

& ſimul ardet, idque à principio ad extremũ vſque. Faces verò cũ ea materia in longũ magis quàm in latum protenſa ardet & non ſcintillat. Stellæ autem quæ traiici videtur, cum exhalatio in longitudinem porrecta in multas exiguas partes æqualis latitudinis & magnitudinis ſparſa eſt. Atque hæc quidem ab exhalatione motu cæleſti inflammata gignuntur, ſed aliquando etiam eliſione & iactu cum exhalatio in aere denſo concluſa frigore cogente & exprimente accenditur & protruditur aut ad latus aut in ſuperũ, aut in inferum, vnde in mare & in terram interdum decidere videntur: Cum autem multa denſáque & craſſa exhalatio calida & ſicca in ſupremo aere cogitur & propter cœleſtium orbium motum paulatim inflammatur, non autem citò & multum ardet, nec celeriter reſtinguitur, quia amplius eodem tempore ex inferioribus partibus exhalatio apta & commoda excitata in ſublime fertur, ad eámque accedit, tum cometa id eſt ſtella crinita exiſtit, pro ea figura quam adepta fuerit exhalatio. Si enim in orbem ferè congeſta ſit ac veluti crines vndique habeat, propriè crinita ſtella dicitur. Si inferiore in parte ſpeciem barbæ longæ referat, barbata. Si autem in longitudinem protendatur caudata. At cum in ipſo inferiore loco, concretionis eſt principium per ſe ſtella crinita apparet, cum autem infra aliquam ſtellam ex iis quæ errantes, aut inerrantes dicuntur, motu cœleſtium orbium exhalatio cogitur, tum ex iis aliqua, crinita apparet, licet crines aſtris ipſis reuera non adhæreant. At cum ad ſydus concretio huiuſmodi ſita fuerit, cometes eodem quo ſydus motu moueri videatur neceſſe eſt, cum autem ſeparatim concreuerit, tum derelinqui videtur. Cometæ autem ventos ſiccitatéſque denunciant, quod magna exhalationis calidę & ſiccę copia aerẽ occupet, & eum humorem ſeu vaporem humidum qui ex aquis exhalatur dirimat & diſſoluat, ſic vt non facilè in aquam concreſcat.

De tonitruis, fulguribus, & fulminibus

c. 8. l. 2. meteor.

NVnc de tonitru, fulgure, & fulmine quæ in medio aere fiunt dicendum eſt. Hæc enim eandem habent generationis cauſam, ac ſeſe mutuo ſæpe conſequuntur. Nam cum exhalatio calida & ſicca vna cum vapore humido ſurſum fertur, ad mediámque aeris regionem peruenta, nubes denſa occurrit, vapor humidus ob loci frigiditatem congelatus in nubem abit, illa autem exhalatio in nube incluſa & intercepta cum ad ſuperiorem locum prohibeatur aſcendere, latera nubis vehementer concutit, ex quo attritu magnus editur ſonus, ipſáque inflammatur & fulget & frequenter nubis partem inferiorem perrumpit, quia ſuperior maiore frigore concreta potentior eſt: (qua enim parte radiorum ſolis reflexio deficit, hac denſior frigidiórque nubis fiat concretio neceſſe eſt) vnde conſequitur vt ipſa licet ſuapte natura ſupera petat, vi tamen denſæ nubis in aduerſum deprimatur, deorſúmque proiiciatur, vt nuclei è digitis exilientes, qui ſuapte natura graues, ex altera parte coacti ſurſum feruntur. Sonus autem factus in nubibus ex violenta percutione exhalationis calidæ & ſiccæ ad latera nubis tonitru dicitur. Iſque varius & inæqualis exiſtit, propter nubium inæqualitatem & quæ interiectæ ſunt concauitates, qua ex parte denſitatis continuatio deficit. Splendor verò emicans quotieſcúmque ſpiritus accenditur, ob vehementem eius ad nubes alliſionem fulgur vocatur. Sequitur quidem hoc pulſum atque tonitru. prius tamē videtur quàm tonitru audiatur, propterea quod viſus cum ſit ſenſuum celerrimus auditum lōgè anteeat. Spiritus autem ardēs qui vi erumpit, cum perrupta nube magno impetu deorſum extruditur, fulmen appellatur.

De me-

De meteoris aëreis ac primum de Ecnephiis & Typhonibus.

Meteora etiam aerea ex calida & ſicca exhalatione generantur, in mediáque aeris regione oriuntur: ea autem ſunt aut flatus violenti vt ecnephiæ & typhones, aut venti. violenti flatus fiunt cum ſpiritus calidus & ſiccus in nube incluſus, miniméque præ denſitate inflammatus, nubem vt exitũ faciat magno impetu concutiens, deorſum à denſa nube expellitur. Si autem ſpiritus ille deorſum recta excernatur, ecnephias id eſt procella appellatur. Si verò in gyrum contortus in terram demittatur, quod accidit quotieſcunque in alterum incurrens, dum deorſum deijcitur, repellitur, typhon id eſt vortex dicitur. Quodſi typhon dum in terras gyratur præ motus vi & materiæ ſiccitate ardorem concipiat, preſter id eſt turbo accenſus nominatur. ca. 1. lib. 3. meteor.

DE VENTIS.

A Sicca autem exhalatione tum ventus oritur, cum illa è terra vi ſolis ſurſum aſcendens à frigore mediæ aëris regionis ita repellitur vt deorſum fluere coacta ſit. nihil itaque aliud ventus eſt quam multitudo quædam ſicci halitus qui ex terra ſurſum aſcendens, frigore ſuperiori circum eam impellitur. Ventorúmque motus à loco ſuperiore principium habent, materia verò ab infimo. ca. 4. l. de mundo ad Alex. c. 4. l. 2. meteor.

Ventorum autem motus inflexus & obliquus eſt, nam ex ſupero loco ad terram obliquè cientur, & circa eam flant. Id fit quia exhalatio quæ è terra calore ſolis ſurſum recta effertur, offendens obſtaculum ad latera repellitur, & deorſum obliquè protruditur. Venti autem omnes quo loco flare incipiunt, imbecillam vim habent, quo autem longius progrediuntur, eo inſigniorem & maiorem, quoniam multus fit halituum concur-

ſus, non ſecus atque in fluuiorum ortu contingit. Venti autem
cap. 6. *omnes qui diametro inter ſe diſtant contrarij ſunt. Vẽti autem contrarij flare ſimul non poſſunt, neceſſe eſt enim vt alter cui vis ab altero adfertur flare deſinat. Contrarius verò temporibus contrarij flant maximè: eos autem qui contrarij non ſunt, ſimul flare nihil prohibet. Ventorum diſtinctio ab his cœli regionibus, à quibus flare incipiunt, ſumitur. Alij enim ab oriente, alij ab occaſu, alij à meridie, alij à ſeptentrione perflant.*

De ventis orientalibus.

VEnti qui ab ortu flant calidi ſunt & ſicci, ac Subſolani vel Euri generaliter vocantur, ex iis tamen is qui ab ortu æſtiuo flat Cæcias, qui ab ortu æquinoctiali ἀπηλιώτης, id eſt Subſolanus, qui ab ortu brumali Εὖρος, id eſt Vulturnus propriè dicitur.

De ventis occidentalibus.

QVi autem ab occaſu flant frigidi & humidi ferè ſunt, ac Fauonij vno nomine appellantur. Ex iis autem is qui ab occaſu æſtiuo Argeſtes & Corus dicitur, éſtque is Vulturno cõtrarius, qui ab occaſu æquinoctiali propriè Ζέφυρος, id eſt Fauonius, & Subſolano contrarius eſt, qui ab occaſu brumali λίψ, id eſt Africus, Cæciæ aduerſus.

De ventis meridionalibus.

VEnti qui à meridie flant calidi ſunt ac humidi, ac Auſtri communiter dicũtur. Ex iis tamen is qui è regione ſeptẽtriõis diametro ſitus eſt, nominis prerogatiua νότος id eſt Auſter dicitur. Qui inter hunc & Vulturnum eſt, Euronotus, & Phœnicias eſt appellatus, at qui ſpirat altrinſecus inter Africum & Auſtrum Libonotus vocatur.

De ventis ſeptentrionalibus.

QVi verò à ſeptentrione ſpirant frigidi & ſicci habẽtur, & Aquilones cõmuni nomine vocantur. Ex iis autẽ is

qui ab eo loco in quo vrſa eſt, oritur, & Auſtro reſpōdet Βορέας, *id eſt Aquilo, & ἀπαρκτίας, id eſt Septentrio peculariter appellatur: Qui inter hunc & Cæciam eſt, Meſes Libonoto oppoſitus, Qui inter Septentrionē & Argeſtē eſt Thraſcias, Phœniciæ aduerſus.*

De terræmotu.

HActenus de rebus igneis & de flatibus & ventis qui fiūt ex ſpiritu calido & ſicco è terra ſurſum calore ſolis, ac aliquando etiam calore quem terra ipſa continet excitato. Cum autem eiuſmodi ſpiritus in terræ viſceribus & concauitatibus includitur, & exire non poteſt, propter terræ extremitatem nimis compactam & denſam, vehementer terram concutit, impetúque magno erumpit, efficitúrque terræmotus. c.7 lib 2.

De meteoris aqueis, ac primum de pluuia, niue, & grandine.

MEteora autem aquea ex vapore calido & humido gignuntur: eorum quædam in medio aëre, quædam in infimo, quædam in terra oriuntur. Quæ in medio aere generātur ſunt pluuia, nix, & grando. Hæc autem efficiuntur cum vapor ex aqua aut terra humore circumfuſa calore ſolis vſque ad mediam aeris regionem eleuatus illic & caloris diſceſſu, & loci frigore cogitur & in nubem vertitur, pluuia ſiquidem fit cum nubes ſtatim in aquam reſoluitur, & guttatim in terram delabitur. Quod ſi guttæ quæ cadunt paruæ fuerint imber: Sin autem magnæ & craſſæ, & magno impetu ruant, labrotera appellatur. Nix autē fit cum nubes prius congelatur quam in aquam conuertatur. Id quod hyeme cōtingit, & cum tempus aut locus admodum frigidus eſt. c.9.l.1.

Grando vero efficitur cū nubes in aquā diſſoluta, propter immodicā frigiditatē prius cogitur & cōglaciatur quā aqua deorſum decidat: maximè autē vere atque autūno grādo naſcitur, c. 11.

tum æſtate, hyeme rarius. Atque tum ferè cum minor eſt vis frigoris. Quoniam enim calorẽ & frigus inter ſe omni ex parte confligere, ac ſeſe vndique viciſſim coercere & comprimere cernimus, ob eámque cauſam æſtate interiores terræ partes obrigeſcunt, & hyeme calent, hoc etiam in medio aere fieri exiſtimandum eſt. Quare calidioribus temporibus frigus magis in intimas partes à calore ambiẽte vndique compulſum, ſimulátque aqua ex nube orta eſt cogitur & conglaciat. Celeritatem etiam concretionis aqua ante concalefacta adiuuat. Citius enim refrigeratur & congelatur.

De rore & pruina.

c.10. *QVæ autem fiunt in infima aeris regione ſunt ros & pruina. Hæc fiunt cum vapor qui interdiu excitatus eſt, in ſublime efferri non poteſt, propter caloris efferentis paucitatem & imbecillitatem, rurſúſque cum noctu refrigeratus fuerit defertur. Ros autem fit cum vapor in aquam tenuem vertitur, nec tantus eſt æſtus vt exſiccare & abſumere poſſit id quod excitatum eſt, nec eiuſmodi frigus ſequit, vt ipſum vaporem poſſit cogere. Quod vel locus paulò ſit calidior, vel tempus. Exiſtit enim ros ſereno & temperato cœlo potiſſimum, in locíſque magis temperatis, róſque pluuiæ reſpondet, ſed pluuiæ maior, roris minor eſt copia. Pluuia enim ex magna vaporis copia quæ refrigeratur exiſtit, cuius cauſa eſt & locus amplior, & tempus diuturnius in quibus cogitur. Roris autem minor eſt copia, propterea quod & diei vnius eius ortus concretio eſt, & in anguſto loco cogitur. Pruina autem fit cum vapor frigore cogitur, priuſquam ſe vertat in aquam. hyeme autem naſcitur, & potiſſimum in frigidis locis pruina verò niui reſpõdet. Nix enim eſt cum nubes cogitur, cum autem vapor, pruina dicitur.*

De fontibus & fluminibus.

EOdem autem modo fontes & flumina in terra oriuntur, atque ea aquea meteora quæ in aere fiunt. Cum enim in terra vapor concluditur, Itémque aer qui vaporis naturam habet per terræ meatus illabitur, & frigore terræ refrigeratur & cogitur, aqua oritur, quæ in vnum quendam locum confluens, fontibus & fluminibus dat originem. Quanquam ex aqua etiam pluuia quam terra excipit, in aquæ guttulas vnum in locum paulatim concurrentes & inter ſe coeuntes conuerſa, fluuiorum fontes emergunt. Quare fluuij ex montibus manant, plurimíque & maximi ex altiſſimis. Itémque fontes montibus editíſque locis ſunt proximi. In campis autem patentibus ſine fluminibus omnino pauci oriuntur. Montoſa enim & alta loca quaſi ſpongia ſuſpenſa & prominentia, quia magnam excipiunt aquæ defluentis copiam, vaporémque qui ex aquis excitatur refrigerant, rurſúſque in aquam cogũt, paulatim multis locis aquam ex ſe fundunt & quaſi inſtillant. c.13.l 1.

De metallis & foſſilibus.

MEteora autem terrea, intra terram generantur, ex concluſa in terræ viſceribus exhalatione. c. vltimo l. 3. meteor.

Eorum autem duo ſunt genera, alia enim foſſilia, alia metallica. Foſſilia autem omnia vt lapidum genera quæ liquari non poſſunt, & ſulphur, & ſandaraca, & ochra, & rubrica, aliáque eiuſdem generis, efficiuntur ex ſicca exhalatione, in qua tamen aliquid vaporis admixtum eſt. Metallica autem vt aurũ, argentum, æs, ſtannum, ferrum, plumbum, ex vapore ſeu exhalatione humida intra terram, & in lapidibus maximè incluſa, & præ terræ lapidúmque ſiccitate & frigore in vnum coacta atque concreta gignuntur, non ſecus atque ros & pruina ex vapore eiuſmodi iam à terra ſecreto, & parum ſuprà il-

lam eleuato, frigoríſque vi concreto ſolent oriri. Metalla autem halitum ſiccum cum vapore admixtum habent (vnde auro excepto incenduntur omnia) Ideóque dura ſunt actúque ſicca & terrea, quanquam poteſtate liquida, humida, & aquea dicuntur. Vehementi enim ignis calore liqueſcunt, ſed eo refrigerato & extincto ad duritiem rurſus, propriámque formam reuocantur.

DE ANIMATIS CORPORIBVS.

c.1.& 2.l.1. de anima. *AC de corporibus imperfecte mixtis quidem ſatis, nunc ad corpora perfecte mixta tranſeundum eſt; quæ animata quia anima prædita ſunt appellantur. Corpora igitur animata ex corpore quod in ſe vitæ facultatem habet, & anima conſtant.*

De anima & corpore.

ca.1.l.2. de anima. *ANima eſt forma & perfectio prima corporis naturalis quod in ſe vitæ poteſtatem habet. Corpus autem vitæ poteſtatem habens, eſt materia & ſubiectum in quo anima ineſt eiúſque partes ſunt inſtrumẽta ad exequẽda munera vitæ.*

ca.2.& 3. *Animæ autem facultates ſunt tres vegetatrix, ſentiens, & rationalis, vnde tria corporum animatorum genera exiſtunt, plãtæ, animalia, bruta, & rationalia id eſt homines. In plantis autem ſola vegetatrix, quæ & alio nomine altrix facultas dicitur, reperitur. In brutis vero animalibus & vegetandi vis ineſt, ſed præter hanc & ſentiendi facultas, in hominibus & alendi, & ſentiendi, & præterea ratiocinandi vis eſt. Has autẽ ſingulas animæ facultates comitatur appetitus, qui autem alentis facultatis comes eſt, appetitus naturalis: qui ſentientis, ſenſitiuus: qui rationalis voluntarius dicitur.*

De calore innato.

ca.4.lib.de reſpir. *QVemadmodũ cæteræ animi facultates ſine alẽte eſſe nullomodo poſſunt, ſic alẽdi vis ſine inſito innatóque calore*

non poteſt extare. Nihil enim alitur quod non ſit vitæ particeps. Calor autem innatus vitam impertit. Vitáque eſt ipſius caloris innati conſeruatio, mors autem eius caloris interitus, id eſt eius conſumptio aut extinctio. Corporum ideo viuentiũ ortus eſt primæ facultatis animæ altricis cum calore innato communio, vitáque huius permenſio.

c. 4 l. 2. & c. 12, l. 3. de anima. c. 2. l. de adole. ſen. vit. & mor. c. 7. l. de reſpir.

Omnia ergo corpora animata, eorúmque partes calorem quẽdam cognatum & naturalem habent. Itaque dum viuunt calida ſunt, cum moriuntur & vita priuata ſunt contra frigida.

c. 2. l. de adol. ſen. vi. & mor. & c. 4. l. 2. de anima.

DE PLANTIS

PLantæ ſunt corpora alendi vi prædita. Itaque plantarum partes ſunt corpus, & anima altrix.

Corporis plantarum partes cõmunes & principales ſunt radix, truncus, ramus, & ſurculus. Atque hæ quidem organa ſunt per quæ altrix facultas in plantis ſua exercet munera.

DE ALENTE FACVLTATE.

FAcultas alens triplex eſt conſeruans, augens, & procreans. Facultas conſeruans eſt quę corpus vitæ particeps in quo ipſa ineſt conſeruat.

Facultas auctrix eſt quæ corpus viuens ad conueniẽtem naturę ſuæ magnitudinem prouehit. Facultas vero procreatrix eſt, quæ ſibi ſimile ſecũdum ſpeciem procreat. Omniumque officiorum in iis quæ viuunt dummodo ſuis partibus abſoluta ſint, nullum naturæ aptius aut accommodatius eſt, quam ſui ſimile procreare vt animal animal, ſtirps ſtirpem, vt æternitatem, diuinitatémque cuius cupiditate omnia ducũtur, quam proximè poſſint imitentur. & cum eadem ad numerum permanere non poſſint, procreatione ſimilium, in ſua ſpecie perpetuentur. Quare finis naturæ animatæ propoſitus in eo eſt, vt aliquid ſimile procreet.

ter, artus,in quibus aliæ omnes continentur, ut in capite cerebrum, oculi, aures,nares,os, lingua: in thorace cor, pulmo: in ventre ventriculus, hæpar,lien, inteſtina,renes,veſica: artus, crura,& cæteras partes extremas continet.

Hæc igitur mēbra ſunt organa quibus anima ſentiens,quęque huic coniuncta eſt facultas altrix actiones ſuas in animalibus exequitur. Os enim eſt quo animalia cibum & potum capiunt.Ventriculus in quo nutrimentum ipſum calore innato adiuuante concoquitur,& vertitur in chylum. c. 1 de adol de ſen. vit. & mor.

Inteſtina ſuperiora chylum accipiunt ex ventriculo. venæ quædam ex inteſtinis purum chylum rapiunt, ac tranſuehunt in hepar, ibique denuo coquitur,& vertitur in ſanguinem.ab hepate per alias venas ſanguis in cor, & in cæteras omnes corporis partes defertur, in ſubſtantiámque corporis tandem conuertitur.Excremētum autem ex alimēto relinquitur, alterum quidē ſiccum & lutulentum, quod per inteſtina inferiora deijcitur,alterum humidum vrina appellatum,quod per veſicam emittitur.His igitur membris ceu inſtrumentis facultas altrix in animalibus ſuis officiis & muneribus fungitur. Cæteris autem membris facultas ſentiens ſua exequitur munera, vt per ſingulas eius partes deinceps intelligetur.Animalium autem alia ſolo ſenſu prædita ſunt, vt beluæ,alia verò rationis etiam capacia,vt homines.

DE SENSV AC PRIMVM exteriori.

SEnſus eſt facultas quę res ſingulas,& externas quę ſub ſenſum cadunt appræhendit, & cognoſcit. éſtque exterior aut interior. Senſus exteriores qui res obiectas aliqua corporis parte externa percipiunt,ſunt quinque aſpectus,auditus,odoratus, guſtatus, & tactus. Quorum omnium quædam obiecta com- c. 1. l. 1. de anima. c. 1. l. 3 de anima.

c 6 l. 2. de anima. *munia ſunt vt motus, ſtatus, numerus, figura, magnitudo, alia*
c 7. *verò ſingulorum propria. Indigẽt autem ſenſus exteriores omnes aliquo medio inter eorum organa & obiecta interiecto, quo munera ſua rectè exequi poſſint. Trium autem ſenſuum aſpectus, auditus, odoratus, mediũ eſt corpus* διαφανὴς, *id eſt trãſlucidum, cuiuſmodi eſt aër & aqua.*

De aſpectu.

ca. eodem. *ASpectus eſt ſenſus exterior percipiens oculis colorẽ. Aſpectus enim proprium obiectũ eſt aſpectabile. Aſpectabile autem eſt color. Color verò ſine lumine ſub aſpectum cadere nullo modo poteſt. Itaque corpus diaphanum aſpectus medium lumine colluſtratũ ſit neceſſe eſt, quo coloris ſpecies per illud ad oculum deferri poſſit. Ideóque cum in natura tranſlucida tenebræ quæ priuatio ſunt luminis, offuſæ ſunt, aſpectus cernere colorem non poteſt. Si ea quæ ignita apparent & ſplendida vt fungus, cornu, capita, & ſquammæ piſcium excipiantur, quę in tenebris magis quàm in lumine cernuntur. Natura tranſlucida vt aër ab igne aut corporibus cęleſtibus lumine illuſtratur. Coloris porrò expers ſit natura perlucida oportet, vt verus color obiectus ad aſpectũ referri poſſit. Color autẽ mediũ pellucidum vt aëra mouet, ſpeciéſq; coloris per ipſum medium lumine illuſtratum, quia continuatũ eſt ad oculos vſque fertur. Aſpectus enim organa ſunt oculi. Duo autẽ ſunt extremi colores cõtrarij albus & niger. Alij verò omnes inter hos ſunt interiecti medij vt ruber, violaceus, croceus, viridis, purpureus.*

De auditu.

cap. 8. *AVditus eſt ſenſus exterior auribus ſonum percipiens. Sonus autem auditui obiectus, fit ex duorum corporum ſolidorum & læuium vehementi & repentino ictu & conflictu. Aliud enim eſt quod percutit, aliud quod percutitur. Dum*

autem ſolida corpora inter ſe confligunt aërem pellunt, & ſic ſonus ad aures vſque per medium aërem externũ deſertur. Auribus autem à natura inſitus eſt quidem aer, & ſimulátque medius aer externus corporũ ictu pellitur, & ad illum internũ auribus concluſum peruentus eſt, internus ille etiam pellitur ſoníſque auditu percipitur. Sonorum autẽ alius eſt acutus, alius grauis. Acutus eſt is qui ſenſum paruo tẽpore multũ afficit, grauis qui parum lõgo tẽpore. Idq́ue fit propterea quod ille citò, hic tardè mouet. Eſt autem ſonus quidam animalibus perfectis peculiaris, qui dicitur vox. Vox autem excitatur in animalibus cum aerem ducunt & in hunc incidit ſpiritus internus qui à pulmonibus profectus, in arteria concutitur: nec fit abſque quadam viſione ſiue intentione & deſiderio aliquid ſignificandi. Cum autem ſonus ab obſtante corpore repellitur, & ad ſuum principiũ redit, ea ſoni relatio Echo dicitur. Fitque potiſſimum in ſyluis, montibus, littoribus, locíſque concameratis. Aures autem auditus, organa, tortuoſum & flexuoſum iter habent vt colligant ſonum, ac minus tardiúſque lædãtur à magno ſonitu.

De odoratu.

ODoratus eſt ſenſus exterior odorem naribus percipiens, qui in pluribus beluis quidem acrior eſt, quàm in hominibus Aquatiles autem beſtiæ per aquam odorem ſentiunt, cætera autem animalia per aerem. Animalia autem quæ ſpiritum ducunt, reſpirando, quæ autem ſpiritum non ducunt, abſque reſpiratione odorem ſentiunt. His enim inſtrumentum olfactus nulla re obductum datum eſt. Illis autem quæ ſpiritum ducunt, quoddam operculum largita eſt natura, quod cum reſpirant aperitur, venis itineribúſque amplificatis. cap. 9.

ca. 1. lib. de ſenſu. *Odor autem aridæ rei eſt. Itaque odor quædam eſt fumum imitans exhalatio ex corporibus odoriferis nempè calidus excitata. Odorũ autẽ alius eſt bonus, alius malus, qui fœtor appellatur.*

De guſtatu.

c 10. l. 2. de anima. *GVſtatus eſt ſenſus exterior qui lingua ſapores apprehendit. Sapor guſtatui obiectus rei humidæ eſt, vt odor aridæ Lingua verò inſtrumentum guſtatus eſt. Sed quo ſapor lingua percipi poſſit, modice humida ſit neceſſe eſt, quæ humiditas ſaliua dicitur, mediíque locum habet. Lingua enim ipſa ſi arida ſit, aut valde humida ſaporem non ſentit: quippe quæ iã ſua qualitate affecta de altera iudicare non poteſt, vt cum quis prægustata re acris ſaporis aliam deguſtat, aut cum ægris amara omnia videntur, quod in eorum lingua, magna huius humoris copia abundet. Sapores ſimplices & contrarij duo ſunt dulcis & amarus, hos ſequuntur, illum quidem pinguis, hunc ſalſus, quibus interiecti ſunt acer, auſterus, acerbus, & acidus.*

De tactu.

ca. 11. *TActus eſt ſenſus exterior qui qualitates tactiles neruo per totum corpus expaſſo percipit. Qualitates autem quæ ſub tactum cadunt, ſunt primæ qualitates elementorum calidum, frigidum, humidum & ſiccum, & ſecũdæ quæ has comitari ſolent, durum, molle, aſperum, glabrum, graue, leue, dẽſum, rarũ. Inſtrumentum verò tactus eſt neruus quidam multiplex & ramoſus, multis ſurculis & capillatim per totũ corpus ſub carne & cutè diſperſus & diffuſus. Medium autẽ inter neruum ipſum & res tactui obiectas eſt caro & cutis.*

De ſenſu interiori, ac primum de ſenſu communi.

SEnſus interiores ſunt ſenſus communis, Phãtaſia, Memoria. Senſus communis is eſt ad quem rerum obiectarum ſpe-

cies & imagines ab omnibus exterioribus ſenſibus perferũtur, & qui actiones ſingulorum ſenſuum diſcernit, & obiecta diiudicat. Quoniam enim alba & dulcia, ſinguláſque res quæ ſenſibus percipiũtur collatas inter ſe, internoſcimus atque ſenſu percipimus, & differre inter ſe, & quid differant, hoc ſenſu communi faciamus neceſſe eſt. Senſus autem communis in anteriori cerebri ventriculo ſitus eſt. ca 1. l. 3. de anima.

De phantaſia.

PHantaſia eſt facultas quæ ex ſpeciebus à ſenſu communi perceptis ſimiles ſpecies ſenſibiles aut intẽtiones conceptúſque elicit, vnde fuga & proſequutio ſequuntur, vt canis baculo viſo, cogitans eius percuſſionem fugit, equus audito claſſico concipiens prælium mouetur.

Phãtaſia in brutis tantum αἰσθητικὴ, id eſt ſenſitiua, in homine verò βουλευτικὴ facultas dicitur, ea in medio cerebri vẽtriculo ſedem habet. ca. 10. & 11. l. 3. de anima.

De memoria.

MEmoria eſt quę ſpecies rerum ſenſilium conceptionéſque à phãtaſia ſuſceptas diu retinet & ſeruat. Memoria verò præteritorum eſt, non autem præſentium in inſtanti tempore, Quod enim præſens eſt, cum inſtat & adeſt, vt exempli gratia, hoc quod album eſt, cum cernit, nemo memoria tenere ſe ſolet dicere. Memoria in poſteriore cerebri concauitate locum habet. c. 1. l de memoria.

De appetitu ſenſitiuo.

AC de ſenſibus quidem ſatis, nũc de appetitu qui ſenſus comitatur dicendum eſt. Appetitus ſenſitiuus eſt vis animę qua mouentur animalia ad proſequendum aut fugiendũ quicquid phãtaſia bonum aut malũ eſſe iudicarit. Obiectum enim quod ſemper appetitum mouet vel bonum eſt, vel id certè quod bonũ videtur, nec omne bonũ ſed quod agendũ eſt, vel malum quod fugiendum eſt. Eius igitur appetitus vis duplex eſt, ἐπιθυ- c. 10. l. 3. de anima.

μητικὸν, id eſt cõcupiſcibilis, qua animalia ea quæ illis bona videntur expetunt & inquirunt, & θυμοειδὲς iraſcibilis qua ea quæ illis mala videntur fugiunt & repellunt. Ex his facultatibus affectus omnes oriuntur. Sunt autem affectus genere quatuor, horum duo ex boni ſpecie aliqua excitantur, voluptas & cupiditas, duo ex mali opinione oriuntur dolor & timor. Nam ſi bonum præſto eſſe opinemur voluptate afficimur, ſi futurum concupiſcimus. Atque ſi malum adeſſe opinemur, dolemus, ſi futurum metuimus. Affectus verò omnium primi & ſimplices aliorúmque quaſi elementa ſunt voluptas & dolor, reliqui autem ex his ſunt mixti.

De facultate mouendi loco.

APpetitus autem ſenſitiuus vt ſuum munus obeat, facultate mouendi loco indiget: ea enim mouendi loco vis eſt qua moueri è loco vno in alium poſſunt animalia, vt obiecta proſequantur, aut fugiant.

c.10.l.3.de anima. *Hæc autem duo appetitus, & intellectus aut viſio, cauſa ſunt cur animantes loco mouentur. Organa autem quibus loco moueri poſſunt animalia ſunt nerui, muſculi, & chordæ.*

DE INTELLECTV.

ATque hactenus de anima ſentiente quæ vtrique animalium generi communis eſt dictum eſt. Supereſt vt de rationali anima homini propria breuiter diſſeramus. Rationalis anima ſiue intellectus eſt facultas qua homo vniuerſa & ſingula cognoſcit, dijudicat, & ratiocinatur.

c.4.l.3.de anima. *Sit igitur neceſſe eſt, quoniam omnia intelligit, ſimplex, & omnis concretionis & admixtionis expers, vt in omnia ſuum quoddam domicilium habeat, id eſt notiones rerum percipiat.*

Quod enim alienæ eſſet naturæ, id omne prohiberet & à ſe reijceret, ſi in propinquo exiſteret, ex quo efficitur nullam eſſe eius naturam aliam, niſi eam qua vim intelligendi habere dicitur. Præterea mens corporea non eſt, nec cum corpore permixta, afficeretur enim calore & frigore, aut etiam ei inſtrumentum quoddam eſſet, vt eſt ei parti qua ſentimus, nunc autem nullum eſt. Sed à corpore ſecreta & ſegregata, immortaliſque ac æterna eſt.

Intellectus autem functio duplex eſt, prima verſatur circa ſimplicia in quibus neque veritas neque falſitas ineſt, altera verò circa compoſita: in quibus verum aut falſum cernitur. Mens enim primum ſingulas rei cognoſcendę notiones ſimplices comprehendit, deinde ipſas cum re intelligenda coniungit & copulat, in qua coniunctione ſemper verum aut falſum perſpicitur. cap. 6. li. 3.

Intellectus aliàs ea quæ ad ſolam cognitionem, aliàs quæ ad actionem referuntur, contemplatur. ca. 7. & 10.

Intellectus cuius omne opus in contemplando eſt, theoriticus, qui autem in actione rerum verſatur practicus dicitur: hic autem circa bonum aut malum quod agēdum aut fugiendum eſt, verſatur. Itaque cum bonum aut malum aliquid eſſe ait, aut negat, id tum homo refugit, aut ſequitur.

De intellectu agente & patiente.

QVoniam autem in omni natura eſt aliquid quod materiæ locum in quoque genere obtinet, quod ipſum cætera omnia eſſe poſſit, aliud verò quod vim efficiendi habet, eo ipſo quod omnia efficiat, eadem in animo diſtinctio reperitur. In eo enim quædam pars eſt quæ fiat omnia, altera quę faciat, cap. 5.

quaſi habitus quidam inſtar luminis, quodquidem facit quodammodo vt colores qui eſſe poterant, reipſa ſint. Atque hæc quidem mens eſt impatibilis cum eius eſſentia actu ſit. Semper autem id quod facit, ei quod patitur, & principium materiæ antepo‍nendum eſt. Mens autem ea quæ ex vi ponderatur antiquior eſt in vno quidem temporis ordine. Abſolutè autem c.4.l.3. *temporis ordine antiquior eſt, quæ actu eſt. Intellectus enim in vno eodémque homine poteſtate quidem eſt, non actu priuſquam intelligat.*

Quare antequam mens intelligat ſimilis eſt tabulæ nudæ in qua aliquid depingi poteſt, nihil tamen reipſa depictum eſt.

Intellectus autem agentis proprium munus eſt contemplari, ratiocinari, & excogitare aliquid. Intellectus verò patientis res ab agente intellectas, & dijudicatas, & excogitatas in ſe recipere.

DE VOLVNTATE.

ca. 9. &10. l.3. *INtellectum ſequitur voluntas. Voluntas eſt appetitus rationalis.*

Alexander Aphrod. l. de anima. c. de vi impulſ. *Nam cum ea appetimus, quæ rationis iudicio recepta & comprobata ſunt, eiuſmodi appetitus voluntatis nomine nuncupatur. Voluntas enim cum deliberatione atque conſilio eſt, deliberare autem atque conſulere eius functio eſt, qui ratione non careat. Itaque voluntas ſolis hominibus peculiaris & propria eſt. In his enim vis illa appetendi rationi ſubditur, vt illi etiam obſequi, atque obtemperare valeat. Id autem ſub voluntatem cadit quod verè bonũ eſt, vt id ſub appetitum ſentientem* Themiſti' c.63. para. in l.3. de anima. *quod bonum eſſe videtur. Etenim voluptas tunc bonum videtur, quum libido ad aliquid illecta inflammatáque rapitur. Homines autem plerumque iracundia & cupidine ducuntur,*

ratione

domita aut retro poſita. Quod incontinentes euidenter oſtendunt, qui quum quod & melius & ſalutarius eſt videant, probéntque, tamen in deterius ac fœdius vergunt. Hinc fit vt appetitus in nobis pugnantes & contrarios ſentiamus, quoties ratio cupiditati aut iracundiæ aduerſa eſt: quorum alter quia reſpicit futurum & conſequens tempus obſiſtit, ac renititur vitio, alter quia præſens lætabile attẽdit, nec ſpectat à tergo quod imminet, dat ſceleri manus & præceps agitur. Eſt enim hoc ingenium voluptatis eius, quæ ſenſus titillat, vt quum præſens eſt, ſi de futuro non cogites ſummum bonum, abſolutúmque videatur. cap. 64.

Appetitus autem brutorum, vt quem imaginatio bruta & ſimplex extimulet, opinione & iudicio deficitur, quia ratiocinari & commentari non poſſunt. Hominis verò appetitus ambigit, nam & cum opinione & ſine opinione poteſt contingere. Quare in nobis non omnis appetitus eſt voluntas, ſed contra omnis voluntas appetitus eſt. Porrò in homine interim mouet appetitus irrationalis rationalem, interim è diuerſo. Mouet verò ſemper appetitus vehementior & validior debiliorem, languidiorémque, non ita vt debilior ſuum motum deſerat, ſed ita vt à validiore attollatur, rapiatúrq; id quod de globis cœleſtibus docent Aſtronomi. Quamuis enim voluntas ſemper quidem conſultet quod agẽdum eſt, priuſquam agat quicquam: Attamen vbi conſuluerit, libera eſt ad agendum, vel non agendum, quod eſt ex ratione iudicatum: ex quo efficitur vt ipſa nonnunquam rationi non pareat, ſed appetitui ſentienti, cum ab eo rapitur & vincitur. cap. 57.

Appetitus autem irrationalis in homine principatum tenet, quotieſcunque appetitus relinquit & abijcit rationis obe-

dientiam, nec rationi paret, cui ſubiectus eſt lege naturæ: Sed cum ratio præeſt, appetitus verò obtemperat, tum voluntati relinquitur locus.

PHYSIOSSYNOPSEOS A NICOLAO ABRAHAMO GVISIANO EX ARISTOtelis doctrina deſcriptæ finis.

EXCVDEBAT IOANNES ALBVS, Typographus, menſe Septemb. 1586.

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAR grace & priuilege du Roy,il eſt permis à M. Nicolas Abraham Guiſois Docteur en la faculté de Medecine de faire imprimer par tel Libraire ou Imprimeur que bon luy ſẽblera tous les liures & cõmétaires qu'il a par cy deuant compoſé & eſcrit, & tous ceux qu'il pretend encores cy apres cõpoſer & eſcrire ſur la Philoſophie & la Medecine, & eſt inhibition & defenſe faite à tous Libraires & Imprimeurs de n'imprimer,vendre,ny diſtribuer aucun œuure dudit Abraham ſans ſon conſentement & permiſſion,durant le temps & terme de ſix ans cõſecutifs, à commencer du iour que leſdits liures ſeront paracheuez d'imprimer, ſur peine de confiſcation des liures imprimez, & d'amende arbitraire, cõme plus à plain eſt declaré par les Lettres patentes du Roy ſur ce données à Paris le troiſieſme iour de Septembre, l'an de grace mil cinq cens quatre-vingts & ſix,& de ſon Regne le treizieſme.

Par le Roy, le S^r. de Chantecler Conſeiller & Maiſtre des Requeſtes ordinaire de l'hoſtel de ſa Majeſté preſent.

COMBAVD.

MAiſtre NICOLAS ABRAHAM Guïſois, Docteur en Medecine, a permis à GVILLAVME LINOCIER, marchand Libraire en l'Vniuerſité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer correctement vn liure par luy compoſé, intitulé, *Phyſioſſynopſis præclara methodo deſcripta ex Ariſtotelis dogmate,per Nicolaum Abrahamum Guiſianum.*

NICOLAI

ABRAHAMI GVISIANI DE ARTIVM INSTITVENDARVM METHODO Dialogus.

AD CELEBERRIMAM ET ILLVSTRISSIMAM LVTETIÆ PARISIORVM ACADEMIAM.

Perſonę huius Dialogi ſunt tres, Ramus & Carpentarius qui vehementer inter ſe de artium inſtituendarum methodo, an vnica ſit necne decertant, & Philalethes qui illorum controuerſiam omnem verborum non rerum eſſe, argumentis & exemplis demonſtrat.



PARISIIS.

Apud Gulielmum Linocerium, in monte Diui Hilarij, ad inſigne Vaſis aurei.

M. D. LXXXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

N. ABRAHAMVS LECTORI BENEVOLO
S.

S*I cupis, candide lector, ipſos de artium inſtituendarum methodo videre diſſertationis fontes, ex quibus hunc ſermonem diſputationemque I. Carpentarii cum P. Ramo hauſimus & expreßimus, lege P. Rami lib. 2. Inſtitut. Dialecticarum vbi de methodo agit, & lib. 9. Animaduerſionum Ariſtotel. poſtremarum in poſteriora Analytica, vbi eum Ariſtotelis locum interpretatur,* Priora ſunt & notiora dupliciter, non enim idem eſt prius natura, & prius nobis, neque notius natura, & nobis notius. *Et libellum qui vnius ex P. Rami diſcipulis nomine inſcribitur,* Expoſitio Arnaldi Oſſati in diſputationem Iacobi Carpentarij de methodo. *Lege etiam I. Carpentarij primam Platonicæ & Ariſtotelicæ in vniuerſa Philoſophia comparationis quæ commentarijs in Alcinoum explicatur, de Analytica methodo digreßionem, quæ duas continet diſputationes contra P. Ramum, quem Theſſalum Academia Pariſienſis methodicum nominat. Euolue diligenter has diſceptationes omnes, & inuenies me ex illis omnino deſumpſiſſe & quaſi ad verbum tranſcripſiſſe quæ in hoc Dialogo illos induxi inter ſe loquutos eſſe: illa ſcripta radicitus excute, accuratißime inter ſe compara, & diligentißime expende, inuenies me omnino ſuis argumentis, ſuis exemplis, ſuis verbis illos reuera ſub Philaletis perſona conciliaſſe, Laborem noſtrum, æqui bonique conſule.*

PARISIIS, E COLLEGIO LAVDVNENSI,
Cal. Nouemb. 1583. Bene vale.

NICOLAI ABRAHAMI GVISIANI
DE ARTIVM INSTITVENDARVM
Methodo Dialogus.

AD CELEBERRIMAM ET ILLVSTRISSIMAM Lutetiæ Pariſiorum Academiam.

MAGNA fuit (artium omnium parens Academia) inter duos clariſsimos abs te ſatos, cultos, & educatos viros P.Ramum & I. Carpentarium de artium inſtituendarũ methodo,noſtra memoria cõtentio, quæ omnium ſtudioſorum mentes & animos admodum perturbauit & in contrarias ſententias diſtraxit.P.Ramus enim in ſuis & Dialecticis inſtitutionibus & Ariſtotelicis animaduerſionibus artiũ diſponendarum vnicam & ſingularem methodum quæ Analyticè a generalibus ad ſpecialia ſemper progrediatur, eſſe affirmat, quod hæc ſola via ad intelligentiam artium & memoriam clara & compendiaria, & quod iſto ſolo diſpoſitionis genere ars atque doctrina quęlibet illi progredi videatur, eoſque reprehendit qui plures methodos conſtituerunt.I.Carpentarius vero contra P.Ramum diſputationem ſcripſit, in qua duplicẽ eſſe in tradẽdis artibus methodum Geneſin & Analyſin contendit, Ramique de vnica methodo ſententiam omni ſtudio euertere conatur.Ramus poſtea ſub cuiuſdam ex ſuis diſcipulis Arnaldi oſſati nomine in diſputationem I.Carpentarij de methodo expoſitionem edidit,in qua ſe expoſiturum pollicetur nihil eſſe in tota Carpentarij diſputatione quod vel minimum officiat duabus illis demonſtrationibus,quibus ſuam ſtabiliuit ſententiam, Imo vero eam Carpentarium ipſum ſua ipſius voce & confeſsione tandem confirmare quod infirmare conaretur.I.Carpentarius aliam ſubinde contra P.Ramum diſputationem rurſus adornauit in qua ſummam dat operam vt erudito lectori ad omnia ſuperioris expoſitionis capita reſponſum, in ſinguliſque capitibus Ramo ſatisfactum videri poſsit.Ego vero, (ſcientiarum omnium magiſtra Academia) cum ardenti deſiderio cognoſcendi incenſus quæ res in hac controuerſia verſaretur,omnes illorum diſceptationes diligenter euoluiſſem, illos multum de artis ordinandę me-

thodo inter ſe verbis diſſidere facile animaduerti, reipſa vero diſſentire prorſus non vidi, & cum diutius & attentius (quod vix tantas inter tantos viros de verbis modo excitatas eſſe tragedias crederem) hanc controuerſam quęſtionem mecum in animo conſideraui ſſem, eiuſque momenta diligentiſſime perpendiſſem, vtriuſque ſcriptis inter ſe accuratiſſime comparatis, illos animorum contentione, non opinionum diſſenſione inter ſe diſcrepare facillime perſpexi. Ob eamque cauſam cum operæ pretium me facturum eſſe ducerem ſi duos illos pręſtantiſſimos homines animo irato ac percito acerrime inter ſe de artis collocandæ methodo decertantes conciliem: ego dialogum conſcripſi, in quo P. Ramum & I. Carpentarium eadem ratione, iiſdemque verbis, quibus in ſuis diſputationibus vſi ſunt inter ſe de artium inſtituendarum methodo diſputantes induxi coram Philalethe quodam quẽ fingo ab illorum vtroque contentionis ſuæ iudicem conſtitutum, (quia ambo in ſuis ſcriptis ſuæ controuerſiæ iudices appellant quos putant affectionibus depoſitis omnibus ex veritate & ęquitate de ſua quæſtione controuerſa iudicaturos eſſe) & cum illi viciſſim de omnibus controuerſiæ ſuæ capitibus eodem ferè quo ſecuti ſunt in ſuis inuectiuis ordine ſatis ſuperque diſſeruiſſent, Philalethem illis reſponſum dediſſe omnem illorum contentionem, omniaque contentionis argumenta partis vtriuſque ſe attentiſſime audiuiſſe & intellexiſſe, ac ſe illorum controuerſiam omnem verborum, nõ rerum eſſe ſentire: vtque ſententiam ſuam illis perſuaderet eſſe veriſſimam primum clariſſimis argumentis, deinde omnium artium liberalium exemplis ex ſuis diſputationibus deſumptis ſe demonſtraturum eſſe, ambos eandem reipſa methodum in omnibus artibus tradendis probare & ſequi. Atque ita ego, (veneranda mater) ſub Philalethis nomine illos vnam & eandem omnino inſtituendarum artium methodum agnoſcere & amplecti, ſuis rationibus & teſtimonijs demonſtraui. Itaque ſi quis me protinus temeritatis & audaciæ inſimulauerit, quod alumnorum tuorum ego omnium infimus & nouitiolus de tanta inter illos ſummos, in omnibuſque ſcientijs perfectos & conſummatos viros controuerſia, ſentẽtiam ferre audeam: calumniari poſtea deſinet, cum perceperit & penitus cognouerit me illos non meis ſed ſuis argumentis, ſuis exemplis, ſuiſque verbis conciliaſſe, ac reuera non diſſentire ſuis ſententijs, dictis, ſcriptis inter ſe collatis oſtendiſſe. Ipſeque vt ſpero factũ ſtudiumque noſtrum probabit, ac voluntatem noſtram minime reprehendendam putabit, cum in illorum authorum ſcriptis attentiſſime legendis & inter ſe comparandis deprehenderit quod ipſi cum non diſſideant ex induſtria diſſidere videri cupiant. Neque enim hanc conſenſionem ſum aggreſſus, vt ingenij ſingularis laudem captem: optime enim egomet meę tenuitatis mihi conſcius ſum. Neque vt hic deeſſe doctiſſimos

philoſophos putem qui melius quod conatus ſum præſtare poſſent,ſed quod nemo adhuc huic rei operam nauarit, vt de ſtudioſis bene mererer,in ea elaboraui, occaſionem neſcio quam nactus oportunam. Neque etiam in iudicando de tantorum hominum inter ſe de tanta quæſtione diſsidentium ſcriptis vni opinioni meæ confidere volui ,ſed quicquid induſtria noſtra elaboratum eſt,cum nonnullis præclariſsimis profeſſoribus tuis,quibuſcum aliqua mihi neceſsitudo intercedit, omnibuſque doctrina ac ingenio præſtantibus viris quibus vtor valde familiariter communicaui: cum præſertim perſuaſiſsimum haberem noſtram hanc lucubrationem plus ponderis apud omnes eſſe habituram, cum doctorum compluriuin trutina fuerit examinata. Quamobrem ſpero,(orbis terrarum ampliſsima,omniumque Academiarum regina Academia) amplitudinem tuam me nihil offenſurum ſi hunc noſtrum Dialogum in tuo nomine diuulgarè audeam,cum in illo maxima & nobiliſsima quæſtio,de artium(quarum tu mater es)inſtituendarum methodo tractetur,illaque a præclariſsimis alumnis tuis. P. Ramo & I. Carpentario diſceptetur. Quod ſi vero hunc laborem noſtrum,quantulus eſt,tibi non ingratum fuiſſe percepero ,ad grauiora ſtudia ſuſcipienda, & tibi aliquando conſecranda nos gloriæ tuæ ſtudioſiſsimos extimulabis. Sed ne diutius moremur in veſtibulo,ad eorum quos propoſuimus ſermonem diſputationemque veniendum eſt. Iam igitur Carpentarium cum P.Ramo loquentem audiamus.

CARPENTARIVS. Quid ita commotus es Theſſale? Quia oppugnamus credo opinionem tuam de vnica artium inſtituendarum methodo. Metuis ne ſi arcem tuæ ſapientiæ inuadamus,id tibi de manibus eripiamus in quo deuicta omni antiquitate triumphas.

RAMVS. At,Carpentari non ego te floccifacio,nec tua me & tui ſimilium ſophiſmata ,conuitia,nugæ , minæ terrent. Noſtra ſententia quæ vnicam artis collocandæ & ſingularem methodum conſtituit , altiſsimis eſt defixa radicibus,ſic vt nulla vi labefactari poſsit , nullis argumentis euerti,nunquam dimoueri loco.

CAR. Non mirum,Theſſale,ſi tu Eloquētiæ,Philoſophiæ Regius profeſſor,Grammaticæ,Rhetoricæ,Logicæ,Phyſiologiæ , Mathematicarum artium reſtitutor,in re literaria deuictis Fabio , Cicerone , Ariſtotele,Platone,Euclide,omni denique antiquitate magnificus triumphator Cæſar,ſemper Auguſtus,propter plebejum doctorem ſentētiæ tuæ oppugnatorem imperterritus maneas. At tuam(ô ampliſsime rex, & ſemper Auguſte)non reformido maieſtatem,nec maximam tuæ fucatæ eloquentiæ vim,quæ,ſi neſcis , tua eſt illa Pitho quæ iampridem tonat , fulminat , permiſcet vniuerſam Academiam. In cæteris eadem apud Germanos,Italos , adde etiam ſi voles apud indos quantumlibet admirabilis. Ergo aperto Marte in ſingulare certamen deſcendamus.

Mihi enim gregario doctori & vix vni ex multis nó minus contra tuam ſummam authoritatem licere puto, quam tibi in Ariſtotelem, Ciceronem, Fabium & reliquos probatos authores diſputare licuit.

R A. Vis Carpentari orator faceti ſsimus videri, ſed eiuſmodi auicularum roſtris impeti iampridem conſueui, neque moueor tamen. Hæc tua eſt religio, comminiſci quiduis audacter, licenter affingere, & in ijs tandem palmarium tui pudoris & vrbanitatis ducere. Age igitur, homo φιλερικώτατε in arenam deſcendamus, non recuſo, id maxime exopto. Quendam in arte differendi accurate verſatum exercitatumque conſtituamus certaminis iudicem, qui non alicui homini, ſed vni veritati addictus quid de controuerſa quæſtione noſtra (cum inter nos diſceptata fuerit) ſentiat libere pronunciet.

C A R. Scis ne, Theſſale, quem iudicem expetam? Ego profecto vt ſtomacho tuo indulgeam, nullum recuſabo. Vis appellemus Philalethē, nec mihi nec tibi, arbitror, nec vllius nomini addictus veritatis rationem tantum habebit, vt ab eo procul dubio æquiſsimam expectare poſsimus ſententiam, cum nos decertare audierit. R A. volo. C A R. En adeſt. opportune aduenisti Philalethes. P H I. Quid rej eſt? Controuerſia eſt inter vos non minima, vt arbitror. Sic enim voce contenditis, vt ex omnibus Academiæ partibus vos exaudiri putem. C A R. Recte conjectas Philalethes de quæſtione maxima certamen inter nos eſt inſtitutum, cujus iudicem te elegimus. Quæſtio autem inter nos controuerſa eſt de artium inſtituendarum methodo. Hic methodum vnicam eſſe vult, eamque Analyticam, repugnante Platone, Ariſtotele, Galeno, omni denique antiquitate. Ego vero methodum vnicam eſſe non poſſe contendo. R A. Atqui Carpentari nunquam dixi vnicam eſſe methodum abſolute, ſed artis ordinandæ & collocandæ (cum eius materies inuenta & ſigillatim iudicata ſit) vnicam eſſe & ſingularem methodum. Hæc tua prima laus eſt, quæſtionem alienam tibi fingere.

C A R. Quid? Etiamne dum rem de qua agitur ſummatim & breuiter iam propono mihi imperabis vanam illam tautologiam tuam (ordinandæ & collocandæ) eſſet alterum horum certe plus ſatis. R A. Tautologiam vocas Carpentari, rem de qua differendum eſt initio apertis proponere verbis, ne in tota diſputatione aberretur? O ſapientem & conſideratum philoſophum? Te igitur Doctiſsime Philalethes nunc appello, tuam hic, vt inquit ille, *Clamo, poſtulo, obſecro, oro, ploro, imploro fidem*, Adſis animo ſicut ades corpore, cognoſce, animaduerte quæ res in hac controuerſia verſetur. De methodo ordinandæ & diſponendæ artis cuiuſuis ac diſciplinæ agitur. In iſta quæſtione rem initio accurate propono & definio, ne quis fallatur, non me de qualibet methodo quærere, ſed de ea tantum, qua artium præcepta iam inuenta, iamque ſigillatim iudicata diſponantur & collocētur. Hanc eſſe diſpo-

ſtionē artificioſam & perpetuam propriorum artis præceptorum, quæ a natura prioribus & notioribus, ad poſteriora & ignotiora natura progrediatur: vt cum eruta primum fuerit artis materia (quod Logicæ inuentionis opus eſſe Ariſtoteles docuit) deinde ſeparatim iudicata & probata (quod Logicæ diſpoſitionis in enunciato & ſyllogiſmo proprium eſt) ſi requiratur ordinis ratio, primum illud ſit, quod per ſe queat intelligi, cætera autem ſine ipſo nequeant: ſecundum quod a primo pendeat, ab eo autem ſequentia, eadem ratione tertium, quartum, quintum, & reliqua deinceps collocentur, ita vt ſemper natura priora, & clariora præcedant, natura vero poſteriora & obſcuriora conſequantur: & quoniam via quæ a generalibus & vniuerſalibus ad ſpecialia & ſingularia progreditur, ea ſola procedit a natura prioribus & notioribus, idcirco hanc vnam, in diſponendis artium præceptis, viam tenendam eſſe, cum eodē Ariſtotele profiteor, & hanc artis methodū vnicam & ſingularem eſſe maximo prorſus & certiſsimo argumento confirmo, quia hæc ſola via eſt ad intelligentiam artium & memoriam clariſsima, maximeque compendiaria, cōtraria autem via contrarijs vitijs obſtructa eſt, obſcuritate & prolixitate. Hanc vero demonſtrationem quæ firmitate veritatis & ſoliditate iudicij Geometricas etiam demonſtrationes omnes ſuperare videatur ex Ariſtotele affero. Addo ad hanc tam illuſtrem tamque neceſſariam demonſtrationem auctoritatem momento grauitatis parem, omnes artes illam viam ſequi voluiſſe, quanuis partibus omnibus non ſint aſſequutæ. Hac vna methodo, atque iſto ſolo diſpoſitionis genere, Grammaticam, Rhetoricam, Logicam & quamlibet aliam doctrinam progredi, contrario prorſus nullam. Hæc mea de artis ordinandæ methodo ſententia eſt, Philalethes, videamus nunc quid Carpentarius contra hanc tam ἀποδεικτικῶς καὶ γεωμετρικῶς affirmatam & ſtabilitam ſententiam afferat. Noui hominem, nulla ad rem pertinentia intelliges ab eo argumenta, nullas demonſtrationes, multa tamen audies ſophiſmata, multa mendacia, multas in P. Ramum calumnias & nugas. P. Ramum non ſuo ſed Theſſali nomine ab eo vocari ſemper perſpicies. CAR. Scio quam tibi moleſtum ſit Theſſalum Academiæ Pariſienſis methodicum nominari. Sed tamen ſic te placet appellare, quod apte cadere in te videantur omnia quæ de Theſſalo ſcribit Galenus libro primo methodi Therapeuticæ. RA. Theſſali nomen (Carpentari) P. Ramo ingenioſe tibi videris affingere, & vt quondam in hiſtrionia illa tua vetere, neſciò quibus alijs nominibus traducebas, ita nūc tibi noua placet actio. Cum millies, Theſſale, Theſſale, Theſſale inclamaueris, credis futurum vt Philalethes & quicunque hanc diſputationem audituri ſunt exiſtiment P. Rami ſententiam, quod vnica ſit artis collocandæ methodus abs te magnifice & præclare refutatam? Ego vero quod te remordeat par pari referrem,

niſi tanto erga te modeſtior eſſe cupiam, quanto tu in me ſis diſſolutior. C A R. Cognoſces modo, Philalethes, hominem in diſputando tam audacem (quem ideo Theſſalum nomino) vt omnem antiquitatis authoritatem aſpernetur, quæ in rebus omnibus nobis æterna & ſancta eſt, nec vt ab ea facile deficiamus permittit pudor, Et neſcio quibus nugis in quibus iampridem conſenuit, modoque repueraſcit ſic inſoleſcere, vt ſuis humeris Philoſophiæ regnum geſtare videatur. P H I. At Carpentari vt ingenue dicam quod ſentio, Philoſophi eſt nulli addictum homini, omnibus veritatem anteponere, liberum enim & ſyncerum in philoſophando ſtudium requiritur. Omnes etiam ſi bene tecum conſideraueris, ſummos philoſophos in tota philoſophia, nullam hominis cuiuſquam opinionem, ſed certam demonſtrationem, & experientiam vnicam pro ſingulari veritatis regula habuiſſe comperies. Teſtis eſt Hippocrates, teſtis Plato, teſtis Galenus quibus religioſum non fuit vetuſtiores arguere philoſophos, teſtis eſt philoſophorum princeps Ariſtoteles qui ne magiſtro quidem Platoni pepercit. De illo enim c. 6. li. 1. Ethic. inquit, δόξει δ'ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. AEquum eſt veritatis retinendæ cauſa ſua etiam decreta tollere, philoſophos præſertim. Etſi enim vtrique chari ſunt, tamen præclarum eſt pluris æſtimare veritatem. Nec iniuria Carpentari, id facere videntur, Nec eos enim protinus qui maxime in quouis ſciētiarum genere excelluerint, etiam ſi antiquiſsimi ſint, fas eſt non homines, ſed deos exiſtimare, vt ne aliquando etiam errare potuerint. Sed hæc miſſa faciamus, conuitiorum iudex eſſe nolo, de re inter vos controuerſa cum vtriuſque partis intellexero argumenta meam ferre ſententiam non recuſo.

C A R. Ne igitur in verbo magis quam in re laborare videar, conſtituam primum quid methodi nomine ſignificetur, vt ad id tanquam ad regulam nos in hac diſputatione referamus. Sit vero hæc in multis ad eandem rem ſiue artem pertinentibus, nec tamen eundem gradum in hac obtinētibus viæ ſiue ordinis inſtitutio, in qua primum quiddam quaſi pro capite, vel reliquorum fonte ponatur. Deinde conſideretur quid ex illo principio ſit ſecundum, quid tertium, ac deinceps quomodo vnumquodque conſequatur. In hac methodi ratione quæ ex Galeno lib. 9. de placitis Hippoc. & Platonis eſt deſcripta, video tecum Theſſale mihi bene conuenire. Hæc enim ſuperioribus Galeni verbis lib. 9. tuarum animaduerſionum ſubijcis: *Hic, ais, methodicæ collocationis de qua loquimur, & quam vnicam probamus, & ſequimur, ſpecies videtur a Galeno definiri. Quam definitionem ſi ſequare, eamque rem velis methodum appellare, & methodi nomine contra me dicas hanc primi, ſecundi, tertij, quarti loci diſpoſitionem a Galeno locis de quibus*

quibus differemus, intelligi, & plures artis collocandæ vias & methodos tales a Galeno conſtitui, reipſa iam non verbo diſsidemus. Atqui ego ſic intelligo, Theſſale, & ſecundum hanc propoſiti nominis notionem contendo methodum vnicam eſſe non poſſe. Cedo enim num vt in docendis artibus, poſtquam iam ſunt inuentæ, earumque rudis materia eſt collecta iſtiuſmodi gradus a peritis artificibus ſunt diſtincti: ſic erunt apud ſolertes artium inueſtigatores? nec omnia ſimul ab illis inquirentur, ſed in ijs quædam erunt prima, alia ſecunda, Itemque tertia & quæ deinceps conſequantur? An in docendis rebus iam inuentis, ignoratione methodi confuſio quædam eſſe poterit: in earundem inueſtigatione nulla vnquam erit? Aut in rerum inueſtigationem aliquãdo confuſionem cadere concedes: in illa methodum eſſe vllam omnino negabis? Non dicam id tibi propter contrariam ſummorum philoſophorum authoritatem non licere, ſed propter eum vſum, qui te tam multa docuit. Nec enim qui primi in notandis differendi præceptis ex vſus obſeruatione laborarunt, ſine ordine id fecerunt, & ſi verum fateri vis, in ijs erroribus quos in illorum ſcriptis tibi fingis, non ſolum explicandis, ſed etiam inueſtigandis, ſine aliqua methodo minime es verſatus. Et certe Galenus, cujus definitionem probauiſti, idipſum quod diſputo aperte fatetur. cap. 4. lib. 1. methodi. Methodo quippiam inquirere & inuenire, inquit, ex aduerſo opponitur ei quod eſt fortuito temereque reperire. Eſt autem id cum via quadam & ordine ita vt in diſquiſitione aliquid primum ſit, aliquid ſecundum, & tertium, & quartum atque ita de reliquis omnibus deinceps, quoad demum ad ipſum quod ab initio eſt propoſitum, ſit peruẽtum. RAM. Audiſti Philalethes quo argumento Carpentarius vſus eſt ad euertendam P. Rami de vnica artis ordinandæ methodo ſententiam? *Eſt (inquit) inuentio artium vt collocatio.* Eſto inquam, Carpentari, quis negat? non hîc de inuentione artium quæſtio eſt, ſed de earum iam inuentarum & ſigillatim iudicatarum methodica diſpoſitione & collocatione. CAR. Animaduertebam Theſſale id te mihi dicturum eſſe, te ſcilicet ordinem aliquem in inueſtigandis rebus agnoſcere, ſed de eo hoc loco non agere, nec complecti appellatione eius methodi quam vnicam eſſe contendis. Aperte enim ab initio propoſuiſti te de ea tantum methodo quærere qua artes collocarentur, præterea de eadem vnica methodo ſic ſcribis lib. 9. tuarum animaduerſionum. *Non differimus hîc quomodo res* [illegible] *ſint inquirendæ: ſed quomodo cum inuentæ fuerint, collocandæ & quo ordine diſponendæ.* Et vt apertius ſententia tua intelligatur, idem poſtea repetis, *Dico (ais) cum totius artis materia ſit inuenta, definitiones, regulæ, partitiones, cæteraque omnia decreta conſtiterint: cum ſit ea materia iudicata, totius huius ſcientificæ & artificioſæ materiæ diſpoſitionem vnicam eſſe.* Imo vt gratificeris nobis amplius non modo in inue-

niendo ordinem agnoſcis,ſed eum cõtrarium eſſe vis Analytico,quem
rerum inuentarum explicationi præſcribis : cum omnium artium in-
uentionem & obſeruationem licet ſummum artis finem propoſitum
ſemper habeat,a ſenſibus oriri,& inductione ſingularium ad ſpecialia,
a ſpecialium inductione ad generalia aſcendere dicas. R A. An non tu
igitur ſciens & prudens ſophiſta es,Carpentari?vt omnes intelligant te
de induſtria ſophiſtam eſſe non modo ipſe fateris non latere te quod
de ea tantum methodo hic agere propoſuerim qua artes collocentur,
ſed citas plures locos ex noſtris animaduerſionibus , vbi dico me non
quærere quomodo res ἐπιστημονικῶς ſint inquirendæ,ſed quomodo cum
inuentæ fuerint collocandæ , & quo ordine diſponendæ. Sit igitur in-
uentio artium vt collocatio.Sit inuentionis via contraria collocationi?
Quid tum?Quid hoc,obſecro te , ad quæſtionem quod artis collocan-
dæ methodus vnica non ſit?C A R. Nunc volui Theſſale,ex ore tuo hoc
vt confeſſum & manifeſtum arripere,Analytico ordini contrarium eſſe
alterum rebus & artibus inueſtigandis accommodatum , vt mihi reſ-
pódeas quibus de cauſis in tua Logica hic a te ſit prætermiſſus.Dic mi-
hi igitur,Theſſale,cur illum prætermittis,aut certe ſi pro tua regia au-
thoritate,ſine ratione prætermittere potuiſti,cur eos reprehendis qui
non ſolum docendum putauerunt quo ordine res explicandæ , poſt-
quam iam ſunt inuentæ , ſed etiam qua methodo eſſent inueſtigandæ?
Atqui neceſſarijs rationibus videor efficere poſſe,illam methodi par-
tem non eſſe a te prætermiſſam,ſine magno vitio eius artis , de qua in
integrum reſtituenda tam ſuperbe cogitas Etenim Logicam quæ ra-
tionem inſtruit,perficere vis.Atque pro fundamentis tuarum animad-
uerſionum & inſtitutionum,a te alio loco eſt poſitum eius explicatio-
nem tam late patere oportere,quam rationis vſum in natura:vt imago
quoad fieri poteſt,ſuo exemplari reſpondeat.At rationis naturalis vſus
in ordine apparet , non ſolum cum de explicandis rebus iam inuentis
quæritur:ſed etiam cum in eiſdem inueſtigandis eſt laborandum. Cur
igitur illam naturalis rationis partem tuis præceptis de methodo,vt tu
quidem arbitraris excoluiſti , vt vero docti iudicant peruertiſti , alte-
ram non modo attigiſti , ſed eos reprehendiſti qui eam ſuis ſcriptis il-
luſtrare ſunt conati ? An quia de explicatione artium iam inuentarum
cum Ariſtotele,imo vero cum omni antiquitate contendebas:in earum
autem inuentione minime laborabas?Sed finge ea tempora quibus res
naturales vel medicæ nondum erant obſeruatæ. Cum earum multi
gradus ſint,an de omnibus notandis homini natura ſolerti & ſagaci ſi-
mul cogitandum exiſtimabis?Atque hoc ſine magna confuſione face-
re non poterit;nec certe is faciet in quo ſingularis naturæ bonitas ap-
parebit.Quid igitur hic,nulla adhuc harum artium cognitione inſtru-
ctus(talem enim fingimus)facturus eſt? Si de rerum naturalium , aut

medicarum ſimplicibus notionibus efformandis agatur: a ſingulis quæ in ſenſum cadunt, ducet initium. Ex communione naturæ in illis perſpecta, ſpeciales notiones effinget: ex ijs rurſum inter ſe comparatis, aliam generalem colliget: donec ad ſummam peruenerit, in qua vniantur omnia quæ arti inueſtigandæ ſunt ſubiecta. Si vero ad ea progrediatur quæ in affirmatione & negatione, veritatis aut falſitatis ſignificationem continent: rerum effectus notabit, & in ijs quidem primum eos qui ſunt in natura poſtremi. Ab ijs progredietur ad proximos: deinde a rebus effectis, ad cauſas: quas gradatim perſequetur, nec prius inueſtigare deſinet quam ad primam peruenerit. Hanc progrediendi rationem in illo naturæ tuæ ſplendore, quo veteres omnes ſuperas, ſæpe, credo, ſenſiſti. Si vero in eo ne cōuictus tenearis, verbo magis quam ſententia, mihi reſiſtis: teſtes appello omnes eos qui in hac rerum inueſtigatione, quid natura ſolers poſsit efficere, in ſe ipſi ſunt experti. Quoniam iam in eas anguſtias ſum redactus, vt contra Theſſalum, omnium veterum iuratum hoſtem, Platonis, Ariſtotelis, Galeni authoritate vti non liceat. Porro eiuſmodi ſolertiam arte aliqua regi, vel perfici poſſe, ex eo intelligitur, quod id omne in quo vnum ab alio naturæ impetu, vel ſola exercitatione, quam nulla ars adhuc anteceſsit, ſuperari contingit: cum in pluribus fuerit obſeruatum, artis præceptum parit. quod poſt artem natam, cæteris bene agendi conſilium præſtat. Ergo ſi non ſolum in explicandis inuentis, ſed etiam in inueſtigandi ſolertia, ordinis obſeruatione alius alium natura plerumque ſuperat: ſicut certe ſuperat, quænam ars hanc naturæ perfectionem obſeruare debet, obſeruatamque ſuis præceptis explicare, & alijs imitandam proponere? Ea opinor, quam Logicam appellas. Quoniam hæc, ſicut vis, rationem inſtruit: ad quam pertinet hæc ordine facta rerum inueſtigatio: tamque late patere in ſuis præceptis debet, quam late fuſus eſt rationis ipſius, in vſu naturalis perfectio. Atqui negare non potes hanc methodum in Logica tua prætermiſſam eſſe. Nam ſi ad inuentionem pertinere vis, mancas hac in parte tuas inſtitutiones fateaaris eſt neceſſe. In quibus cum inuentionem tradis ne verbum quidem eſt vnum de hac inueſtigādi methodo in prima notionum efformatione, vel artium inuentione per certos gradus diſtincta. Quæ tamen ſi illius eſt, in ea principem locum debuit obtinere. Multo minus ſub diſpoſitione hanc methodum comprehendere potuiſti, in qua nullam hujus tum maxime cum Analyticam tuam methodum explicares mentionem feciſti. Cur igitur rerum inueſtigandarum methodum prætermiſiſti, cum de methodo explicandarum rerum quæ iam ſunt inuentæ, tam multa ſcribendo, eaque tam frequenter repetendo nos eneces? Neque enim hic plus tibi debes arrogare, quam Ariſtoteleis voluiſti licere, quos ſeuere reprehendis ſi quando ea prætermiſerint, quæ etiam facillime intelligi

poſſunt.RAMVS. Sed ô homo hominum doctiſsime, & in Logicis eruditiſsime, ſatiſne hic ſanus es? Ego duas Logicæ partes cum Platone & Ariſtotele conſtitui, inuentionem & iudicium: priorisque præceptis non ſolum artium, ſed omnium omnino rerum inueſtigationem propoſui. Sic Ariſtoteles doctrinam cauſarum, factorum, ſubjectorum, adiunctorum, & reliquorum copioſe, vel potius effuſe, tradidit: nec nonnos præterea inueniendi locos ad artium inueſtigationem accommodauit. Methodus autem illa, quam tu in inueniendis artibus ſomnias, eſt illa inductio (de qua nos in loco diſtributionis) qua omnes artes inuentas eſſe cum Platone & Ariſtotele profitemur, quæ ex cauſis, effectis, ſubjectis, adiunctis, diſſentaneis etiam eſt, quia ex quatuor illis primis locis diſtributio partium eſt, & differentia: & eadem diſtributio eſt in diſſentanea. quæ tam turpiter ac fœde non ignorares, ſi noſtram Dialecticam ad te conformandum meditari, quam calumniari maluiſſes. Vides igitur, Carpentari, quam prudens & docta ſit tota diſputatio tua, nec abs te magis P. Ramum accuſari, quam Ariſtotelem, quam quemlibet Logicæ magiſtrum, quam denique teipſum, qui Logicæ magiſter videri vis, neque tamen in tua bella Dialectica aliam propriam artium inuentionem docuiſti. Accuſas prætermiſſam artium inuentionem, quæ ampliſsimè & euidentiſsimè demonſtrata eſt. Nec manca hîc P. Rami Logica eſt vt tu clamitas, ſed plena & copioſa. In illa vero diſputatione de methodo ſi quæras cur inuentionem omiſerim, quis non te derideat? Quid enim? Tuipſe nonne tibi licere vis, in vno libello, de hac quæſtione diſputare, vt interea tamen totam Logicam non explices? Cur igitur, quod tibi arrogas, idem alteri licere non vis?

CAR. Hæccine mea ſomnia appellas, Theſſale, quæ negare non potes ſummorum Philoſophorum probata conſenſu? Sed videamus in arte diſſerendi quem locum tribuas ei methodo quam in inueſtigandis rebus agnoſcis, & Analyticæ contrariam fateris. Vis hanc methodum quæ progreſsionem habet ab imo ad ſummum per intermedia, inductionis nomine in diſtributionis loco comprehendi. Verum quomodo poteris, Theſſale, illum aſcenſum a ſingulis ad generalia per intermedia, ad diſtributionis locum reuocare, cum in illo fere omnia ſint diſtributioni contraria? Si quidem diſtributio quaſi ex vno multa facit, quando vnum in multa diſtribuit: At aſcēſus hic ex multis facit vnum, quoniam multa diſperſa, in vnam notionem colligit. Sic enim animaduertere potuiſti a Porphirio dictum cap. de ſpecie, eos qui deſcendunt ad ſpecies imas, per genera multa delabi, partiendo: Qui verò aſcendunt ad genera ſuprema, ijs multitudinem in vnum eſſe cogendam. Quoniam ſpecies, multa in vnam naturam cogit, atque genus id facit multo magis: res autem ſingulæ contra, vnum in multa partiuntur. Meliore iure profecto, Analyticam tuam methodum ad diſtributionis lo-

cum potuiſti reuocare. Quandoquidem hæc ipſa, ſicut fateris, Platoni Diæreſis eſt. Addo præterea Theſſale, hunc aſcenſum quocunque nomine exprimamus, ex tua doctrina Analyſi eſſe contrarium, contrariaque a te definiri quæ ſub eodem genere ſunt poſita. His enim videor poſſe concludere, in quo genere artis diſſerendi Analyſis eſt, ad idem aſcenſum hunc fuiſſe referendum. At tu Analyſin ad iudicium reuocas, aſcenſum inuentionis eſſe vis. Non cogitas quam ſint hæc inter ſe diſparata? Vis Theſſale iam te conuincam? Aſcenſus hic qui pertinet ad efformandas gradatim in animis notiones ſimplices, nullo modo poteſt includi ratione inuentionis eius quam tu primam Dialecticæ partem poſuiſti. Quoniam hæc a teipſo tota ad argumenta ſingula eſt relata, argumentumque definitum quod ad aliquid arguendum eſt affectum. At in illo aſcenſu de quo iandiu loquimur, neque argumenta quæruntur, neque ea colliguntur quæ adhuc ad aliquid arguendum pertineant, aut ad verum vel falſum confirmandum. RA. Atqui Carpentarii illud improbitatis & malitiæ tuæ eſt, quod comminiſceris, pro tua iam tibi vſitata religione, totum Logicæ vſum a me ad veritatem vel falſitatem quæſtionis referri. Etenim vſum Logicæ, etiam ſine vlla quæſtione in tota inuentionis & enunciationis per ſe manifeſtæ doctrina, in tota etiam methodo magnum eſſe docui, & quæſtionis id eſt enunciationis dubiæ, Logicam explicationem (quod ad iudicium eius attinet) ad ſolum ſyllogiſmum referri. CAR. Vbi Theſſale? Nuſquam in tuis Logicis deprehendere potui hæc a te præcepta eſſe. Dialecticæ artis (ais initio Dialecticarum tuarum inſtitutionum) partes duæ ſunt, inuentio & diſpoſitio. Poſita enim quæſtione (ais) de qua differendum eſt, argumenta quæruntur, Deinde ijs via & ratione diſpoſitis, quæſtio ipſa explicatur. Tertia mentis actio in differendo nulla eſt inuentio eſt doctrina cogitandi & inueniendi argumenti, id eſt probationis ad explicandam quæſtionem idoneæ. Quis iſta Legens non mecum ex tuis verbis colliget totam inuentionem a te eſſe poſitam in excogitandis ſingulis argumentis, per quæ ſingulæ quæſtiones poſsint tractari? Quid ergo in eo improbitatem vel malitiam mihi obijcis? At ſi ex eo tempore alias inſtitutiones edideris in quibus hoc immutaueris, neſcio: eas certe non legi. Sed te vrgebo ex poſtrema artis diſſerendi idea, quam ſuperiore menſe edidiſti in cuius pagina prima ita ſcribis: inuentio prima pars Dialecticæ de argumentis. Argumentum eſt quod ad aliquid arguendum affectum eſt, quales ſunt rationes ſingulæ, quibus verum aut falſum eſſe aut non eſſe nihil omnino conſtituitur. Ergo vides Theſſale nihil in eo eſſe malitiæ quod dixi Dialecticam inuentionem a te ſolummodo de argumentis eſſe inſtitutam, & argumentum ad quæſtionem eſſe relatum. Aperte enim vides totam inuentionem tuam eſſe ſitam in excogitandis ſingulis argumentis, per quæ ſingulæ quæ-

ſtiones in quibus de veritate vel falſitate agitur,poſsint tractari?At hîc de veritate quæſtionis nondum agimus, nec de ſingulis argumentis ad quæſtionem pertinentibus:Sed quo ordine rerum multarum variæ notiones in animo nudo efformandæ, aut in ea obſeruatione quæ artes parit quid debeat eſſe primum,quid poſtremum,quid medium.In quo retexendo poſt artem inuentam,ipſe artifex ſecundum alteram methodi ſpeciem elaboret.Sed pergamus,intelligo quid velis. Tibi etiam licuiſſe in Logica tua hanc inueſtigandi methodum prætermittere,cum a nobis ſit in noſtra Dialectica prætermiſſa.Bene hercle habet.Sed iam ex te quæro,Theſſale,cur hanc methodum prætermiſeris eo Ariſtotelis loco,ex quo nata eſt hæc tua tam longa de methodo digreſsio.Nonne animaduertis ex eo profectam quod Ariſtoteles cap.2.lib. 1. Analyt. poſt.cum priora & notiora dupliciter dici propoſuiſſet, ad eorum diſtinctionem explicandam talia ſubjecit. Dico nobis quidem priora & notiora(inquit)quæ ad ſenſum propius accedunt:abſolute autem priora,quæ longius a ſenſu ſunt remota.Remotiſsima vero ſunt quæ maxime vniuerſalia:proxima quæ ſingularia. Atque hæc inter ſe opponuntur.Tu in eum locum interpretem agens lib. 9. animad. obſeruas methodum quandam ab Ariſtotele informari. Nempe quoniam indicantur certi quidam progreſsionis gradus a generalibus ad ſingula,per ea intermedia quæ ſunt ſpecialia.Hoc quanquam non omnino probemus tibi tamen concedamus.Verum Theſſale,vt progreſsionis certi gradus ſignificantur a generalibus ad ſingula,nonne eadem ratione eo ipſo loco expreſſa eſt contraria progreſsio a ſingulis ad generalia: hæcque illam in artium origine & notionum ſimplicium prima efformatione, in animis noſtris antecedens?Cur igitur Ariſtoteli addictus(hoc enim fidelem interpretem, in ijs præſertim quæ vera ſunt decuit) poſteriorem methodum non ſolum eo loco obſeruaſti, ſed tam longa digreſſione tractaſti:alteram natura priorem,ne verbo quidem attigiſti?præſertim cum ipſa Analytica ars,quam cum Ariſtotele profitebaris, non minus vel etiam fortaſſe magis ad inueſtigandum pertineat, quam ad explicandum quod iam inuentum eſt?Licuit,Theſſale,nobis noſtro genio indulgentibus,ſeorſum methodum hanc, altera neglecta explicare.At tibi eo ipſo loco prætermittere eam quam Ariſtoteles illi contrariam eſſe ait, omnino non licuit. Quanquam etiam amplius conſidera quid agas.Ex eo loco colligis ordinem Analyticum,qui deſcenſum habet a generalibus ad ſingula,in quo vt opinor generum notiones iam in animis efformatas eſſe oportet:Ariſtoteles vero loquitur de prima earum efformatione.Adde quod hîc vult ſpecialia generalibus eſſe nobis notiora,quando ſcilicet notiones adhuc in animis efformantur: at quando deſcendimus a generalibus ad ſpecialia, notionibus efformatis,rebuſque inuentis,idem cap.1.lib.1.Phyſic.ſcribit genus vniuerſum,

quia totum quoddam eſt, ſpecie eſſe nobis notius. In quo tamen vis nos a natura prioribus,ad ea quæ poſteriora ſunt deſcendere.Sed nimis vrgeo,& hac in parte ſic hæreo , quaſi hoc ſolum in Methodici inſtitutionibus , & animaduerſionibus de methodo peccatum ſit,quod eam prætermiſerit,quæ rebus inueſtigandis eſt accommodata : cum in illa alia tam multa ſint,vt mihi verendum ſit,ne in ſingulis perſequendis, non poſsit hæc diſputatio exitum reperire. R A. Vides , Philalethes, quomodo Carpentarius nobiſcum vehementer obiectis ſophiſticis neſcio quibus luctatus,ſe reprimat,& eloquentiam Ciceronis , Cæſare deuicto,bellator acer vſurpet?Sed nimis vrgeo,inquit. O Lepidum artificium tuum,Carpentari,& quidem ῥητορικώτατα appoſitum. Sed video quid volueris,ne tædeat nos cum nihil adhuc præter ineptias audierimus,voluiſti nobis,bonus ſcilicet orator,mouere riſum,quo paululum recreati ad perſequendam diſputationem veniremus alacriores. Sed tamen homo ῥητορικώτατε non ſolum λογικώτατε, tua hactenus tam prolixis nugis & mendacijs referta diſputatio quid ad quæſtionem propoſitam attinet ? Quæſtio eſt vtrum vnica ſit artis ordinandæ methodus. *P.Ramus* , ais falſo , ſed tamen ais , *prætermiſit inuentionem artium*. Quid tum ? inquam ? vtrum idcirco methodus collocandæ artis vnica non erit?qua figura ſyllogiſmi,quo figuræ modo id abs te concluditur?O homo tui nominis(ſi tamen vllum habes)prodige,& parum ſollicite , quid Philalethes omneſque eruditi homines de tua iſta tam modeſta,tamque ingenioſa ſapientia dicturi ſunt ? Intelligis imo vero ipſe ponis quæſtionem,& ab ea repente & tam longe digrederis. Doctrinæ methodus,de qua hic quæſtio eſt , digreſsionem omnem vt ſophiſticam auerſatur:Tu pro tuis multiplicibus methodis,vnam aliquã tenuiſti,quæ tibi permitteret tot verba ad quæſtionem nihil attinentia balbutire & ineptire.C A R. Non eſt quod ita tumultueris , Theſſale, Antequam enim aggrederer contra tuam de vnica artis diſponendæ methodo ſententiam diſputare,tecum ita agere volui,vt primum efficerem methodi eſſe duo prima genera finibus inter ſe diſtincta:vnum quidem ad artium inueſtigationem,alterum ad earum iam inuentarum explicationem:deinde contenderem prius non fuiſſe tibi cum de Dialectica perfecte tradenda ageres,prætermittendum,præſertim eo Ariſtotelis loco ex quo naſcebatur tua digreſsio.Itaque iam bona fide tecum paciſcar,Theſſale,nos de ea tantum agere ſecundum quam , vt ais, cum artis materia ſit inuenta,definitiones,regulæ,partitiones,cæteraque omnia decreta conſtiterint:cum etiam materia illa fuerit iudicata, iam diſponenda eſt,& cum hominibus alijs communicanda. Quam tu methodum doctrinæ appellas,vt eam ſignifices rebus docendis magis quam inueniendis eſſe accommodatam:Hanc , inquam , doctrinæ methodum vnicam eſſe vis:ego vero multiplicem , eiuſque partes inter ſe

differentes eſſe contendo. R A. Bene eſt, Carpentari, quod iam agnoſcere videaris ſophiſma tuum cum dicis te velle de quæſtione dicere, quod non ſit vnica methodus artis collocandæ. Oſtendis enim te nihil adhuc bona fide dixiſſe. cum nunc primum bona fide paciſcaris. Verum age: duplici argumento, vt dictum eſt tanquam adamantino quodam fundamento noſtra ſententia nititur, Ariſtotelica illa demonſtratione, & artium omnium inductione: videamus igitur quomodo tu nos & Ariſtotelem, oppugnes. Erigito igitur animum Philalethes, & machinas oppugnatoris tam vehementis & acris aduerſus vnicam artis methodum ab Ariſtotele propoſitam, a P. Ramo illuſtratam & vindicatam attendito. Hic aries foſsis ſubſtratis, aggere completo ad muros admouetur, ſerioque iam pugnatur. Quid igitur Ariſtoteles aberrauit cum docuit in arte ordinanda a generalibus ad ſpecialia tantum procedendum eſſe, non contra a ſpecialibus ad generalia? Quid P. Ramus offendit, cum hanc vnicam & ſingularem methodum aduerſus omnes hominum errores vindicauit? Dic Carpentari, cur non eſt vnica artis collocandæ methodus? C A R. Audies modo Theſſale artis ordinandæ omnino methodum vnicam dici non poſſe. De quo ſi mihi cum Ariſtoteleo eſſet diſſerendum, quoniam vnum ſicut & multa, dicitur partim genere, partim ſpecie, partim numero, (ſic enim Ariſtoteles ipſe diſtinxit lib. 1. top.) quærerem quo horum modorum methodum, quam Analyticam appellas, vnicam eſſe velis? Et quoniam quod abſolute vnicam eſſe vere dicitur, id aut numero, aut certe ima ſpecie (quam Ariſtoteles nonnunquam indiuiduam appellat) vnum eſſe oportet: facile opinor efficerem, vel te iudice, methodum doctrinę ſpecie ima vnicam, id eſt in alias ſpecies indiuiduam dici nullomodo poſſe: multo vero minus numero. Nam ſi Analyſis, ſicut vis, complectitur deſcenſum a generalibus ad ſingula, per intermedia ſpecialia: a fine ad media, primum quidem ea quæ illi ſunt proxima, deinde ad alia quæ ab eodem ſunt remotiora: a partibus totius integri eiuſdemque primis elementis ad totum: a cauſis ad res effectas quæ ex illis manant (hos enim quatuor doctrinæ modos animaduerto te Analyſeos nomine eſſe complexum): quis Ariſtoteleus in tanta partium varietate, dicere auderet Analyſin, quæ hæc omnia ſic inter ſe differentia complectitur, omnino vnicam eſſe? Quid enim vnuſne & idem deſcenſus videri poteſt a genere ad ſpecies, a membris & partibus ad totum integrum, a fine ad media, a cauſis ad res effectas? Atqui vnum & eundem eſſe oportet, ſi omnino vnicus eſt: aut ſi vnicus non eſt, neque omnino vnica eſt methodus, etiã ſi Analytica eſſe dicatur, quæ tam multiplicem deſcenſum in ſe complectitur. Sed ea tantum genere fortaſſe vna, quæ in ſpecies multas a ſe inuicem proprietate quadam differentes, eaſdemque communione naturæ inter ſe connexas, diſtribuatur. Hoc ſi dicere voluiſti, nihil habet,

hac

in parte,iſta doctrina quod tuum dicere poſsis, præter affectatum ſtudium contradicendi. Quis enim negauerit eius methodi quæ ad docendas res accommodata, generalem rationem eſſe vnam, poſitam in progreſsione a primis ad vltima, per intermedia: hanc vero non omnino vnicam, ſed diuiduam in ſpecies ſiue modos tam differentes, quam diuerſa illorum graduum habitudo in genere & formis, in fine & medijs, in partibus & toto integro, in cauſis & effectis. RA. Sed quid nobis quiſquilias iſtas, in animad. noſtris iampridem refutatas reponis? An nondum intelligere potuiſti, vel ex alia Ariſtotelis ipſius puriore & veriore doctrina, quicquid enũciaretur, generaliter aut ſpecialiter enunciari? totumque hoc numeri commentum nihil eſſe? Tam multa enim tertio animaduerſionum, ex omnibus Græcis & Latinis authoribus, ex Ariſtotele denique ipſo tam vere conſtanterque diſſerui, vt cum huc refugias maximam cauſæ tuæ diffidentiam oſtendas. Atque hoc tuum argumentum tam plumbeum, tam cæcum, aduerſus auream illam omnis doctrinæ, omnis Philoſophiæ regulam, putaſti ingentem quandam machinam, qua perrumperes ac perfringeres omnia. Sed tamen hoc tuum argumentum latius exponamus. *Methodus (ais) non eſt vnica numero nec ſpecie.* Methodus vero in te Carpentari, nec numero, nec ſpecie, nec genere vlla eſt: fateor. At Methodus diſponendæ artis, de qua loquimur, vna eſt in ſeſe numero (quoniam nos ita loqui vis) nec in varias ſpecies diuidua, vſu tamen generalis & communis rerum omniũ quæ in eam cadere poſſunt: ſicuti tota Logica vna eſt in ſeſe, quanuis vſu generalis ſit, & omnium rerum communis. Sic Arithmetica, Geometria, & quælibet omnino diſciplina ſimiliter vna eſt. *Sed P. Ramus* (ais) *facit huius methodi quatuor ſpecies inter ſe differentes, primam a generalibus ad ſpecialia, ſecundam a cauſis ad effecta, tertiam a fine ad media, quartam a partibus ad totum.* Vbinam iſta? CAR. Expecta Theſſale, quia illud Ariſtotelis de tribus rerum differentijs, non probas, ſed pro eo tuum commẽtum vt opinor nobis oppones, res eaſdem diuerſas eſſe cauſis, effectis, ſubiectis, adiunctis, diſſentaneis, collatis, nomine, tributione, definitione, teſtimonio, (tuis enim verbis vtendum eſt, ne in tuo regno offendaris) aliter diſputationem inſtituam, atque quæram, num quatuor illos Analyſeos modos vno eorum quæ enumerata ſunt vel etiam pluribus differre arbitreris. Quibus ſi plurimum differunt, vt certe differunt, cur Analyſin in illos modos diſtinctam, vnicam eſſe contendis? RA. Vbinam iſta (inquam) methodi diſtributio eſt, Carpentari? Soles tu vel minima de cauſa etiam contra teipſum, locos ex commentarijs noſtris ad verbum citare: In hoc vero quod caput eſt, quod quæſtionis ſummam vel potius rem omnem continet, tu pro te ad iſtius diuiſionis probationem, ne verbum quidem citas? At quonam modo citares quod nuſquam dicitur? primum enim de methodo totius artis a partibus ad to-

rum nulla vſquam a nobis facta mentio eſt reliquis autem vocabulis, quæ tu in vnum colligis interdum quidem vſus ſum, ſed diuerſis in locis, nec tam ſponte noſtra, quam neceſſario, quia primum ab ijs vſurpata erant pro quibus aut contra quos ſcribebam. Iſta vero diſtributio, quam tu tibi fingis, nuſquam eſt. *At enim* (dicis) *a generalibus, a cauſis ad effecta, a fine ad media vna methodus eſſe non poteſt*. Enimuero Logicæ Ariſtoteleæ peritiſsime, quid ais? Generalia (inquit Ariſtoteles) ſunt ſpecialium cauſæ, & generales ideo fines ſpecialium etiam cauſæ ſunt. Itaque qui a generali fine initio artis per definitionem poſito progreditur ad ſpecialia media, & omnino quomodocunque a generalibus ad ſpecialia, is a cauſis ad effecta progreditur. Nec ſi quando pro methodo ab vniuerſalibus ad ſingularia dixi, a fine ad media, aut a cauſis ad effecta, tria propterea methodorũ genera feci aut intellexi: ſed his verbis vnã ſemper & eandẽ methodum a generalibus ad ſpecialia ſignificaui: quia generalia ſunt cauſæ ſpecialium, vt dictum eſt ex Ariſtotele. Quare iam videmus quis ſit tuus pudor, & quæ tua bona fides, cum partim ea mihi affingas, quæ a me nunquam ſcripta ſunt, partim relicta ſententia verba duntaxat aucuperis. Quare hoc tuũ de vnitate numeri, ſpeciei, generis argumentum contra Ariſtotelem per ſe ſophiſticum & ridiculum mendacio turpi & falſo commento confirmatum eſt, quod P. Ramus quatuor modos differentes huius artificioſæ methodi fecerit. Quid igitur? Aries iſte quanta tibi machina aduerſus Ariſtotelem videtur fuiſſe? *Methodus* (inquis) *artis collocandæ non eſt vna numero, nec ſpecie, quia P. Ramus, quatuor eius ſpecies fecit inter ſe differentes*. Imo, inquam, hæc methodus vna eſt in ſeſe & ſpecie, & numero: nec eam P. Ramus vnquam in alias ſpecies diuiſit. Hic arietis tui cornua retunduntur: quin machina tota in altas foſſas diſturbatur & corruit: & P. Rami ſententia, quod vnica ſit artis diſponendæ methodus, per tuos impetus adhuc ſtabilis & immota permanet. CAR. O Theſſale, Theſſale ne des tibi ipſi palmam. Nondum enim (crede mihi) viciſti. expecta Philalethis ſententiam. Modo contendebam methodum Analyticam in tua doctrina complecti, progrediendi modum a genere ad ſpecies, a cauſis ad res effectas, a fine ad media, a partibus ad totum, Atque conabar efficere in illis methodum omnino vnicam dici non poſſe: etiamſi in eis nomen vnum Analyſeos concedamus: quod tamen ſine vllius philoſophi authoritate, rebus tam differentibus accommodaſti. Nunc quid contra afferas videamus. Quæris ex me vbinam ſit iſta methodi diſtributio, & cur ad iſtius diuiſionis probationem nullum ex libris tuis verbum citauerim. Iucundiſsimum eſt profecto, quod eo rem omnem rediſſe fateris. Quoniam hoc poſito, iam facile intelligitur, ſi iſtud probauero, rem eſſe confectam. Atqui ego conſtanter adhuc contendo, te omnes hos progrediendi modos, Analyſi nominatim eſſe complexum, eoſque exemplis illuſtraſſe. Atque id adijcio, etiamſi hoc a te nuſquam, expreſſum eſſet, tamen quia

vnicam doctrinæ methodum eſſe vis Analyticam,illa omnia Analyſi tibi eſſe comprehendenda,ſi conſentanea dicere velis. Vnde vero vis exordiar?Credo ab eo quod de progreſsione a partibus ad totum, maiore animi ſecuritate negaſti.Quid enim?non mihi concedes in hac ipſa diſputatione de methodo,tibi paſsim, ſed potiſsimum lib.9. Animaduerſionum ,pagina:69.in Geometria lineam ex puncto, ſuperficiem ex linea,corpus ex ſuperficie tanquam ex elementis & partibus oriri? Addo etiam illud ex eadem animaduerſionum tuarum pagina, literam dictionis eſſe partem,dictionem orationis.Quibus ex te poſitis, cedo in Geometricis & Grammaticis explicandis , quæ erit in ijs gradibus ordinis ratio tenenda?Si negas ad totum integrum eſſe progrediendum ex ijs quæ partium rationem habere vis,deſcribam locum ex pag. 71.lib.9.Animaduerſionum,in quo rides eos qui aliter faciendum arbitrantur.*Si tres annos in Grammaticis puer inſtituatur, (ais) ad tuam iſtam Galenicam methodum, primum annum conſumes in regulis ſyntaxeos, vltimis primum,deinde medijs,tum primis: partiumque orationis nondum cognitarum, mirificam ſtructuram inſtitues.Anno ſecundo cum docueris ſyntaxim,ad Etymologiam venies & partes orationis explicabis,interiectiones,præpoſitiones,coniunctiones,aduerbia,participia,verba,pronomina,nomina,Item ſyllabas & literas declarabis.Sic enim retrogradus,a natura poſterioribus ad natura priora conſcendes: atque in tenebris viatori lumen tutioris viæ gratia præferes, ſed pone vagantem & errantem,in vmbra corporis videlicet occultabis & quod omnino fieri non poteſt, vt ante partium(quas partes eſſe neſciat) puer ſyntaxim condiſcat, hoc iſta caligine nempe conficies. Quæ ſtultitia quæſo te,quænam maior in artibus inſtituendis fingi cogitarine poteſt?* Ex quibus quis mecum non colliget, in perpetua methodo Grammaticæ tradendæ, tibi placere a partibus ad totum Analyticam progreſsionem,quam hoc loco vſquam a te probatam negas?pergamus & ad Geometriam veniamus *Quid?in hac quid facies, inquis? quomodo γραμμικὰς ἀποδείξεις illa tantam doctrinæ perturbationem ferent?Euclidis libri ſunt quindecim: decimuſquintus, tibi primus erit, decimuſquartus erit ſecundus, & deinceps ſic inuertentur reliqui: ſolida primum, tum ſuperficies, tertio loco linea fuerit. At quas demonſtrationes hic ordo συνθετικὸς habebit?Ex antecedentibus theorematis & problematis conſequentia, Analytica vis demonſtratur: An etiam contra,per hanc viam poterunt Euclidis priores propoſitiones, e poſterioribus demonſtrari? An Geometras putamus iſtam methodum ſine riſu audituros?Non potius omnis ordinis ineptiſsimam & inſulſiſsimam peruerſionem iudicaturos? Quare ſecunda methodus Galeni. ſecunda τρόπος διδασκαλίας nulla eſt.* Hic non dicam quam ignoranter, vel certe malitioſè, Galeni ſynthesin interpreteris, quamque ſophiſtice in tua Analyſi hoc loco retineas,& laudes quod ille omnium doctorum iudicio,per ſynthesin ſignificauit:ſed hoc ſolum concludam,quod quātumuis impudens negare nullo modo potes,placere tibi in Gramma-

tica & Geometria progreſsionem a partibus ad totum, eamque Analyſeos nomine comprehendi. An non igitur iam confecta res eſt? Quod ſi tibi non eſt ſatis, en profero locum alterum. Ariſtoteles in prioribus Analyticis fieri vult ratiocinationis Analyſin in pronuntiata, & horum in terminos ſiue tria extrema, tu vero contra lib. 7. animaduerſionum. fol. 273. contendis faciendam eſſe primum Analyſin terminorum in pronuntiata, deinde horum in ratiocinationem. *Primum igitur (ais) poſiti ſyllogiſmi exemplum in propoſitiones reſoluitur, deinde in terminos tres: quamobrem? quia facilius eſt, ait hic doctor, diuidere in majora. At inquam, trium terminorum conſideratio major & amplior, id eſt generalior & antiquior, & prior eſt natura. Problema enim ad quod duo termini referuntur, & argumentum, id eſt medius terminus ante conſiſtant, neceſſe eſt, quam ex ijs propoſitiones efficiantur, Ratio hæc doctorem ad Analyſin terminorum prius adducere debuit.* Hæc tua verba ſunt Theſſale. Eone efferetur tua impudentia, vt negare audeas, terminos pronuntiatorum, hæc ratiocinationum partes eſſe? Senties iam opinor, ſi modo ſenſus aliquid tibi relictum eſt, quam vere a me eſſet propoſitum, Analyſi tua includi eum ordinem qui a partibus primis progreſsionem habet ad totum quod integrum nominas, per ea quæ ſunt intermedia. Nec vero id a te factum eſt ſine iuſta ratione. Quoniam Analyſis tua, ſicut dicere ſoles, deducit a natura prioribus ad poſteriora: tibi vero, indubitatum eſt, partes toto integro natura eſſe priores. Vis hoc idem in reliquis tribus efficiam, atque etiam doceam huic tuæ reginæ Analyſi, a teipſo ſubijci deſcenſum a genere ad ſpecies, a cauſa ad res effectas, a fine ad media? Eſt quidem certe in tuis ſcriptis iſtud tibi vſque adeo familiare, vt ridiculus labor meus in eo confirmãdo ſit futurus. Preterea id te recipere video & ingenioſa excuſatione lenire conari, quod paulo ante reiecisti, cum his vocabulis te vſum eſſe fateris, ſed diuerſis in locis, nec tam ſponte tua quam neceſſario, quia primum ab ijs vſurpata erant pro quibus, aut contra quos ſcribebas. Callida profecto illa excuſatio eſt: Sed tamen cum illa omnia ſiue tua ſponte, ſiue ab ipſa veritate coactus, Analytico ordine complectaris, quomodo in ijs habitudine vſque adeo inter ſe differentibus methodum omnino vnicam, & prorſus indiſtinctam dicere potes? Talem vero dicas neceſſe eſt, ſi numero, ſicut vis, vna eſt, nec in varias ſpecies diuidua. *At ſi quando (ais) pro methodo ab vniuerſalibus ad ſingularia dixi a fine ad media, aut a cauſis ad effecta, plura propterea methodorum genera non feci aut intellexi: ſed his verbis vnam ſemper & eandem methodum a generalibus ad ſpecialia ſignificaui: quia generalia ſunt cauſæ ſpecialium vt Ariſtoteli placet.* Ergo methodum tuam Theſſale, omnino vnicam eſſe vis, quæ a genere ad ſpecies gradatim deſcendat: ſub ea tamen contineri progreſsionem à cauſis ad res effectas: quoniam cauſa cum rebus effectis comparata, ad has videtur eo modo ſe habere, quo genus ad ſuam ſpeciem. Hoc vero confirmas ex eo, quod Ariſtoteles dicit, generalia ſpecialium eſſe cau-

ſas.In quo quid agis Theſſale? aut quam in concludendo formam ſequeris? Non enim quia generalia ſpecialium cauſæ ſunt,efficitur in docendi methodo deſcenſum a cauſa, debere ad eum reuocari qui eſt a genere ad ſpeciem:ſed contra potius tibi dicendum videbatur, vnicam eſſe methodum doctrinæ inſtituendæ, eamque Analyticam a natura prioribus,vt a cauſis ad res effectas:hanc vero in ſe complecti progreſſionem a partibus ad totum(quoniam partes totius cauſæ ſunt)a fine ad media,(ſiquidem certum eſt finem cum medijs comparatum,vnius cauſæ,eiuſdemque nobiliſsimæ rationem obtinere)& a genere ad ſpecies, quia ex Ariſtotele generalia ſpecialium ſunt cauſæ. Quod ſi diceres,tollerabile quidem eſſet,& ſi non omnino verum. Hoc tamen tibi adhuc eſſet explicandum,cur in hac poſteriore Dialecticæ parte progreſsionem a genere,non diſtinguas,ab ea quæ fit a cauſa ad res effectas: cum in priore,quæ eſt de inueniendo,locum a genere omnino diuerſum eſſe velis,ab eo qui cauſam continet.Quid enim? An in inueniendo minus quam in iudicando, verum eſſe putaſti illud Ariſtotelis, generalia ſpecialium eſſe cauſas? aut ipſa methodi præcepta minus quam inueniẽdi,exactam partium diſtinctionem poſtulare videbantur? At profecto intolerabile eſt quod dicere auſus es,omnes particulas progreſsionis a natura prioribus(quæ ſane variæ ſunt & multiplices)vnicum quid facere,non modo ſpecie,ſed etiam numero.Quid enim abſurdius? cum in Analytica methodo quadruplicem illum deſcenſum retineas, a genere ad ſpecies,a fine ad media,a cauſis ad res effectas, a partibus ad totum integrum,Analyticam methodum vnicam eſſe velle,quod in ea ſemper a generalibus ad ſpecialia deſcendamus.Rationem vero audiamus propter quam finis generalior tibi ſit medijs,cauſa,rebus effectis,& partes toto integro:Quia illa(dices)abſque his intelligi facile poſſunt,hæc ſine illis non poſſunt.Nam in animaduerſionibus,de Phyſicis Ariſtotelis ita ſcribis.*Vera hęc methodus in Phyſicis ſeruatur,& quod verbis initio confunditur,id verbis melioribus eodem initio corrigitur,& opere toto pręclariſsime vindicatur,& a cauſis ad cauſata,a generalibus ad ſpecialia, ab vniuerſalibus ad ſingularia, a ſimplicibus ad confuſa compoſitaque preceditur non contra.* Et eodem loco ſcribis,ex illa methodi Analyticæ regula, in Grammaticis primo loco ſtatui literam,ex qua dictio, ex dictione, oratio.In Arithmeticis vnitatem vnde numerus.In Geometricis punctum,vnde linea, ex qua ſuperficies,& tandem ex ſuperficie corpus oritur,Atque in illis omnibus quod primo loco cõſtituitur,γνωκώτατον videri ex eo cõfirma: quod poſsit eius doctrina facile ſine cõſequentibus accipi:cõſequen iũ ſine illo antecedente non poſsit.In quo,Theſſale,id efficit vt merito in te majorẽ prudentiã deſideremus,quod cõtra Peripateticos diſputans, vnicã eſſe methodum Analyticam,Vt hac compoſitionẽ cõplectaris quã illi ex altera parte Analyſi oppoſuerunt,poſtulas tibi concedi id omne

ſine quo alterum intelligi non poteſt,eſſe illo generalius. At illud tibi hi non concedent:niſi idipſum de eo quo generalius eſſe dicitur,enuncietur.(quoniam illis generalia ſunt quæ pluribus communicantur,de eiſque interrogantibus quid ſint apte enunciantur)Ac in eo tibi reſiſtent quod priuatio ſine antecedente habitu cognoſci non poſsit : nec in prima notionum efformatione,ſpecies ſine antegreſſa rerum ſingularum obſeruatione:cum tamen nec habitus priuatione,cui contrarius eſt,generalior videri poſsit, nec res ſingulæ ſua ſpecie. Dicentque te pro arbitrio nouum Dialecticarum vocum vſum confingere: non æquabili iure ex antiqua loquendi conſuetudine contra Ariſtot. doctrinam diſputare.Quis enim ante te partium in totum Analyſim eſſe dixit?Quod ſi Theſſale,de ordine inueſtigandis rebus accommodato dicendum tibi eſſet,nonne fatereris in illo eſſe progrediendum ab antecedentibus ad conſequentia,antecedentiaque ea eſſe, ſine quibus conſequentia intelligi non poſſent?Ergo ſi generalium rationem a te poſitam retinemus, etiam in rebus inueſtigandis, non ſolum in docendis inuentis,a generalibus,ad ſpecialia fiet progreſsio.Quod ſicut vis, ordinis eſt Analytici:Et tamen hunc in docendis rebus quæ iam inuentæ ſunt retines:in inueſtigandis,repudias. Non ſentis quibus difficultatibus hæc noua opinio ſit impedita?Amplius vero tibi oſtendam. Vis in animad. nos in Analyſi progredi a ſimplicibus partibus ad totum integrum quod ex illis eſt compoſitum,ſicut antea dictum eſt, At lib.2.tuarum inſtitutionum,cum in Grammaticæ explicatione, methodi Analyticæ exemplum proponis,arbitraris in ea totius artis naturã primum definitione comprehendendam, ſecundo loco ſtatui debere quatuor illius partes,Orthographiam,Etymologiam,Syntaxim,Proſodiam:tum partium harum definitiones tertio gradu ſuperioribus connecti.Atque ita deinceps ad extremas particulas,ab integris rebus, diſpoſitionem debere progredi, eamque viam vnicam in tradendis artibus eſſe ſeruandam.Opinionum varietatem,ne dicam cõtrarietatem vides? In hac quid ſequar, Theſſale? Ego quidem certe quanquam non dubitem, quin in docendis artibus progredi poſsimus a fine ad media, & ab elementis ſimpliciſsimiſque partibus ad compoſita: vix tamen aſſentiri poſſum vtrumque ad methodum vnicam & ſpecie indiuiduam pertinere.Quoniam in illis duobus video ea quæ pro extremis conſtituuntur, ex ſua natura conſiderata & cum noſtra cognitione comparata, rationem quodammodo contrariam obtinere.Nam finis a quo in priore ducitur initium,cum deſtinatis medijs comparatus, totius rationem habet, ſummam deſtinatorum perfectionem in ſe continet, illiſque fortaſſe vtroque modo eſt notior,& certe naſcendi ordine poſtremus. At ſimpliciſsimæ totius integri particulæ,contra,perfectionem ſuam a toto capiunt,illoque nobis longæ obſcuriores ſunt, & naſcendi ordine

primæ. Quomodo igitur ab ijs facta progreſsio, vna methodo eademque ſecundum ſpeciem indiuidua, includetur? Eos qui a primis elemẽtis totius integri, ad totum compoſitum progrediuntur, vis Analytice ex ſimplicibus ad confuſa proficiſci (hæc enim tua verba ſunt) Atqui tu, tu inquam, qui doctrinæ inconſtantiam tam ſuperbe alijs ſoles objicere, deſcenſum a genere ad ſpecies, ad methodum Analyticam cum ſuperiore vnam & eandem, vis pertinere. Cum tamen certum ſit generum notiones in hac primo loco poſitas, confuſas eſſe, enodationiſque indigere: quam a formis in quas diuiduntur accipiunt. In quibus vides quid ex tua ſententia efficiatur: Methodum ſcilicet Analyticam omnino eſſe vnicam, in qua a generalibus ad ſpecialia ſemper deſcendamus: in illa tamen nonnunquam nos progredi a ſimplicibus ad confuſa: alias vero contra, a confuſis ad enodata, quæ eadem in naturæ ambitu ſunt ſimpliciora. Id autem quid eſt aliud quam hoc nomine abutendo, vno genere velle complecti ea quæ veteres in duas ſpecies diſtributa, ſuis etiam nominibus diſtinxerunt, vnumque compoſitionis, alterum Analyſeos eſſe dixerunt. Neque vero magis id mihi probatur, quod a partibus ad totum integrum, tanquam a ſimplicibus ad confuſa, vis Analytice nos progredi. Quoniam non valde commendabilis in docendo tua Analyſis eſt futura, ſi ad confuſa nos deducit: præſertim cum proprium doctrinæ ſit, non confundere, ſed diſtinguere, & enodare. Et certe quanquam a toto integro ad partes deſcendere, ſit a confuſis progredi: non tamen contra, a partibus ad totum tanquam ad confuſum dicimus aſcendere. Quandoquidem partes eiuſmodi priuſquam ad totum ventum ſit, a ſe inuicem ſunt diſtinctæ: nec amplius in illo confunduntur: etiamſi in eodem coniungantur & vniantur, In quo vereor ne non ſatis attente conſideraueris, in quam ſententiam partes modo confuſe, modo diſtincte in toto cognoſci dicantur. Sed hoc tibi condonãdum, quoniam fieri non poteſt quin ignoratione labatur in pleriſque, qui in omnibus ad contradicendum magis quam ad intelligendum ſe comparat. RA. Quid, Philalethes? num hic homo ſuis tam longis nugis te obtundit? Homo iſte calumnia tantum delectatur: vt quanuis antea bona fide paciſci ſe dixerit, mori tamen malit, quã bona fide quicquam agere. Tua, cauillator noſter, inepta eſt in verbo *Generalis* cauillatio. Non vis *Generale* dici quidpiam, niſi tua prædicabilia & prædicamenta interrogantibus reſpondeantur, quaſi vero *Genus* & *Generale* idem ſit, itemque *ſpecies* & *ſpeciale*. At tamen Ariſtotelis κατηγορήματα, vt tertio libro Animad. demonſtratum eſt, doctrinam hanc recipiunt: Et Ariſtotelis doctrina recipit, in iſto prioris & generalioris ordine, τὸ μὴ ἀντιστρέφον κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν. Quin Ariſtoteles ipſe ita loquitur, eo ipſo in loco, in quo præcipit vt in tota arte ab vniuerſalibus ad ſingularia deſcendatur: vbi *vniuerſalia* vocat *communia*. Et nomi-

natim definit vniuerſalia eſſe quæ in pluribus inſunt: τὰ δὲ καθόλου κοινὰ (inquit lib.1. de partibus animal.) τὰ γὰρ πλείοσιν ὑπάρχοντα, καθόλου λέγομεν: ſic qui Latine loquuntur, *Generale & commune*, *Generaliter & communiter* vſurpant. Et tuipſe alibi ignorantiæ tuæ iudex *Generale* interpretaris quod ſit multis commune. Hic igitur, Carpentari, nihil erat quod tam grauiter de nobis quærereris. Nunc etiam eſt quod tuam ſiue inſcitiam, ſiue malitiam accuſes ac lugeas. At tu exultas in illo tuo commento de Analyſi partium in totum, quod nobis nimium ſane impudenter affingis, & inde opinionum varietatem in noſtra doctrina ineſſe concludis. Neque id tibi ſatis eſt: *a ſimplicibus ad confuſa* peruerſe interpretaris, & ex malitioſa interpretatione tua infinitam calumniandi materiam trahis. At verba illa, Carpentari, non mea ſunt, ſed Ariſtotelis, qui per τὰ συγκεχυμένα (cui reſpondet hoc verbum *confuſa* ſiue *compoſita*) intelligit ſingularia. Itaque ego in Ariſtotele explicando, Ariſtotelis more loquutus pro eodem dixi *ab vniuerſalibus ad ſingularia, & a ſimplicibus ad confuſa*, & alia quæ in illa concluſione collecta ſunt, propterea quod ea omnia Ariſtoteles vſurparat. I nunc, & cum infinite mẽtitus ſis, conclude ex tuis mendacijs (vt facis) P. Ramum velle progredi alias a ſimplicibus ad confuſa, alias a confuſis ad enodata: Sic enim tu & ſingis & loqueris. O hominis vanitatem incredibilem! (Quis enim hîc ſe contineat?) Tene, Carpentari, ita eſſe pudoris & omnis humanitatis oblitum, vt ſic palam mentiri audeas? vt famæ & exiſtimationis tuæ nullam rationem habeas? An neminem tui diſsimilem hæc intelligere putas? Tamen a malitia non diſcedis: pergis nugari in illo tuo *confuſa*: in eoque tendiculas valde aculeatas tibi videris inueniſſe, ſicuti iam antea in multis alijs: quæ tamen nihil niſi tuam ſophiſticam oſtendunt. Ego in variorum locorum explicatione varijs nominibus vti coactus ſum. At in ijs nullam methodi vim conſtitui, verborum ſophiſmata tibi & tuis nebularum integumenta concedo: rem intelligi volo: tricas iſtas verborum & apinas, quales hic perpetuo conſectaris, quantum potui ſemper auerſatus ſum, vt etiam diſputatio illa de methodo iterum atque iterum nominatim admonet. CAR. At Theſſale, cum ordinem a partibus ad totum, & a fine ad media vnicum omnino eſſe non poſſe, etiamſi vterque a natura prioribus eſſe dicatur, abunde a me eſſet diſputatum, tu ne verbum quidem vnum reſpondiſti, niſi te nunquam poſuiſſe Analyſin partium in totum. In quo tamen tua impudentia, tuo teſtimonio ſatis videtur eſſe reuicta. Nec minus frigide, eo te expediri conaris, quod objeceram de progreſsione Analytica, a ſimplicibus ad confuſa compoſitaque. Cum enim eo te vrgerem, quod Analyſis tua non valde commendabilis eſſet futura, ſi ad confuſa deduceret: quandoquidem proprium doctrinæ eſt non confundere, ſed diſtinguere & enodare: tu cum in re nihil omnino haberes quod opponeres, tuo more, vno

re,vno verbo quo Ariſt.in rem tuam vſum eſſe ais,id totum eluſiſti.Sed age,hoc quoque conſideremus attentius.Negaſne Theſſale, a te poſitam Analyſim doctrinæ inſtituendæ, quæ progrediatur a ſimplicibus ad confuſa,compoſitaque?Tua verba ſunt folio 44.lib.9. tuarum animad.Negas ne Analyſeos tuæ ,quæ deſcenſum habet a generalibus ad ſpecialia,eſſe proprium non ad confuſa , ſed a confuſis ad enodata deducere?Nobis Ariſtoteles id confirmat cap.1.lib.1.Phyſic.Et certe generum notiones cum ſpecialibus comparatæ,confuſæ ſunt , Atque vt Cicero ait in Top.enodationis indigent,quam accipiunt a formis in quas diuiduntur.Quod etiam Analyſeos fructus a te extorquet. Quid igitur ais?aut quid opponis quominus concludam in tua doctrina Analyſim deducere ad confuſa,& a confuſis ad enodata:& tamen illam tibi, tibi inquam vnicam eſſe nó modo ſpecie,ſed etiam numero ? Si iſta nobis plebejs exciderent,quas tragedias in tuo theatro excitares ? Sed tamen audeamus quid reſpondeas.*Ais me a ſimplicibus ad confuſa peruerſe interpretari & ex malitioſa interpretatione mea,infinitam calumniandi materiam trahere.*At nihil omnino interpretor,Theſſale:vnicum confuſionis vocabulum conſiderari poſtulo:& cum Analyſeos fructu hujus vim comparari:in eaque comparatione quantum poſſum voce contendo,intollerabilia eſſe hæc, Analyticam methodum eſſe vnicam doctrinæ inſtituendæ & eam ad confuſa deducere.Imo vero vſque adeo mihi abſurda , vt ne Ariſtot. quidem iſta affirmanti , fidem ſim habiturus. Quanquam in his quibus ex illo abuteris , noua tua impoſtura apparet dum ais verba illa non tua,ſed ipſius Ariſtotelis eſſe , qui per τὰ συγκεχυμένα (cui reſpondet hoc verbum confuſa,ſiue compoſita)intelligit ſingularia.Verum Theſſale,cum in Ariſt.non ſolum interpretem agas , ſed in eum,etiam in leuiſsimis , tam ſeuere animaduertas : non vidiſti hoc ſi Ariſtotelicum eſſet,animaduerſione eſſe digniſsimum ? Sed certe Ariſtotelicum non eſt imo Ariſtotelis ſententiæ omnino contrarium. Sed de his ſatis. Iam nobis obſeruandum varias Analyſeos ſignificationes atque Geneſeos,ſimulque Diæreſeos & Syntheſeos , ad ea quæ nobis adhuc dicenda ſuperſunt melius intelligenda.Cum enim hæc vocabula,non vno modo apud veteres vſurpari videantur , eorum multiplicitas explicanda.Analyſeos vocabulum,cum de methodo agitur , doctrina Ariſtotelica magis,quam Platonica nobilitatum eſt.Siquidem ab eo Ariſtoteles Analyticam inſcripſit vniuerſæ artis diſſerendi partem præſtantiſsimam,Platoni vero familiaris magis eſt Diæreſis : cui ex altera parte Syntheſin opponit:ſicut nonnulli apud Ariſtotelem Analyſi Geneſin.Analyſis vero vt intelligi poteſt ex Ariſt.cap.3.lib.3.Ethic. pertinet ad Geometrarum deſcriptiones,in ejſque ſignificat reuocationem eius de quo quæritur ad principia in ſuo genere omnino prima , per ea quæ intermedia ſunt. In quibus nullus gradus ſine vitio prætermitti

poteſt. Hinc ab eodem tranſlata ad artem demonſtrandi: quam inde Analyticam appellauit. Vt in explicatione eius, quæ artium omnium exacte tractandarum regulam continet, vel ſola inſcriptione indicaret ſe maxime Geometras imitari: vt exactiſsimos artifices & valde methodicos. Quanquam vero Ariſtoteles eandem nonnunquam appellet artem demonſtrandi: non eſt tamen fortaſſe omnino idem quæſtionis propoſitæ Analyſin facere, & eam per ſuam cauſam demonſtrare. Analyſin enim facit, qui ab illa deſcendit ad proximam cauſam, ab hac ad ad ſecundam, indeque ad tertiam: donec ad prima omnino peruenerit: in quibus animus conquieſcit, nec amplius priorem cauſam inquirit. Demonſtrat vero, qui a cauſa natura prima, reſurgit ad proximam, indeque per intermedias, ad quæſtionem propoſitam. Qui etiamſi cum priore ſuam Analyſin perſequente, commune habeat ſpatium in quo verſetur, nempe id omne quod inter quæſtionem, & cauſam in eo genere primam, eſt interiectum: ratione tamen ab illo non minus diſtinguitur, quam js qui per aliquod interuallum aſcendit, ab altero qui per idem deſcendit. Sicque Ariſtot. cap. 3. lib. 3. Ethic. deliberationem in ijs quæ ad mores pertinent, cum actione quæ illam ſequitur, comparans, ait eam Geometrarum Analyſin in deſcriptionibus imitari. Quoniam pro rato poſito fine (neque enim de hoc vult deliberari) inquirit quomodo ad eum perueniri poſsit. Quod ſi compluribus rationibus eum parari poſſe conſtet, tum qua facillime & optime poſsit, inueſtiget. Sin vna via, quomodo per hanc: idque eouſque faciat, donec ad primam cauſam ventum ſit, quæ in inueniendo eſt poſtrema. A qua actio contra, primum excitetur, & per eoſdem gradus in finem deſinat. qui in deliberando primus ponebatur. Hæc mihi Analyſeos prima vis, in diſſerendi arte apud Ariſt. eſſe videtur. Quod nomen poſtea nonnulli in ea etiam methodo vſurparunt, quam in colligenda definitione idem præſcribit. cap. 14. lib. 2. Analyt. poſt: Indeque deſcenſum omnem a generalibus ad ſpecialia, Analyticum appellauerunt, non valde repugnante me vt hoc nomine, de duobus ordinibus a Platone laudatis in Phædro alterum complectamur: quem animaduerto Ariſtoteli in docendo valde familiarem. Quanquam hic eo loco Diæreſin potius quam Analyſin nominet, ex eoque concludat definitionis colligendæ rationem Diæreſi valde adiuuari: Ex quo fortaſſe eſt effectum, vt nonnulli Diæreſin ad Analyſin reuocarint, illamque huius partem quandam fecerint. Eſt etiam Analyſis quædam totius integri in particulas vltimas, per partes principes, aut alias quaſuis intermedias: vt cum ciuitas in ſuos ordines, hique in ſingulas familias diſtribuuntur: vel ratiocinatio in pronunciata, rurſumque hæc in attributum & ſubjectum, quæ inde Analyſeos extrema ab eodem appellantur cap. 1. lib. 1. Analyt. priorum: quod in ea ratiocinationis, per media pronunciata, Analyſis deſinat. Sed de hujus

nominis varietate fortaſſe plus ſatis:reliqua breuius perſequamur. Geneſis,originem ſignificat rej alicujus ex eorum quibus conſtat collectione atque vnione:ſi modo illa eſt eiuſmodi vt partes habeat. Et quia totum dupliciter dicitur,nempe quod integrum eſt, & quod vniuerſum:idcirco illa cum de ordine quæritur,ſignificare poteſt progreſsionem a partibus ad totum integrum,(ſic enim partes toto integro Geneſi priores ſunt) & ex formis ad genus vniuerſum. Vſurpari quoque poteſt in moribus,pro deſcenſu a fine ad media,in deliberando: & pro aſcenſu a medijs ad finem,in agendo.Sic enim dicimus deliberantibus finem ex ſe media gignere,& agentibus media de ſe finem ipſum excitare. Haud diſsimilis eſt varietas in Diæreſi & Syntheſi. Nam vt totum dupliciter dicitur: ſic eius quoque duplex diſtributio eſt,duplexque compoſitio.Atque vt ex fundamento,pariete, & tecto domus componi dicitur:ita quodammodo ex rebus ſingulis ſpeciales notiones, & ex ſpecialibus generales.Itemque contra,vt domus in fundamentum, parietem,& tectum diſtribuitur:ſic genera in ſpecies, & hæ in res ſingulas:ſed diſtributionis & compoſitionis modo valde diſsimili.

RAMVS. Hui,ad quid ſophiſticum illud lexicon,ex tua & tui ſimilium ſophiſtica:quod dicatur Analyſis tripliciter primo Geometrica ab vltimis ad prima,ſecundo Ariſtotelea a primis ad vltima, tertio totius integri in particulas vltimas?Iam hæc tertia tua Analyſis a toto ad particulas,ſi eſt vt ſyllogiſmi in enunciationes, & enunciationum in terminos(vt Ariſtoteles appellat) quid a prima differet?Equidem miſeret me tui,qui in eos laqueos te indueris,vnde ſine magna infamia expedire te nequeas.Analyſis tibi ex Ariſtotele,quem non intelligis, repetitur a Geometris. At tu,niſi tam eſſes ἀγεωμέτρητος quam es ἀναλφάβητος didiciſſes quibus in propoſitionibus Euclides & Archimedes, & quomodo ad ſyllogiſmum tantum,non ad iſtam,de qua agitur,methodum, Analyſi vtantur:neque te vnquam tam turpiter deridendum nobis in illo erudito puluere verſatis propinauiſſes.Sed nos calumniari,quam a nobis Logicam & Geometriam diſcere maluiſti.In diſtinctione Geneſeos par ſapientia eſt,cum Geneſim progreſsionem eſſe dicas primum a partibus ad totum integrum,deinde a formis ad genus, tertio a fine ad media,& a medijs ad finem.Eandem denique in Syntheſi & Diæreſi diſtinctionem vis intelligi. At Logice mirifice, quid nobis iſto loco ſomniaſti?aut a quo mercatore merces iſtas tam inuiſas,tam inauditas, aut ex qua barbarie profectas emiſti?Nominaſſes ſaltem auctores tuos. Analyſis,Geneſis,Syntheſis,Diæreſis alba tibi,an atra ſit,nihil laboras: quicquid denique & quacunque confuſione fingi poteſt, eſt tibi Analyſis,eſt Geneſis,eſt Syntheſis,eſt Diæreſis:quia eſt a ſummo ad imum, aut ab imo ad ſummum,aut aliquo tuorum iſtorum modorum permiſtum.Hoccine argumentum contra nos eſſe voluiſti?Atqui iſta ſophiſ-

mata tam cornuta,non ſolum poſitæ quæſtionis aliena,ſed falſa,& falſo authoribus attributa noſtram ſententiam quod vnica ſit artis ordinandæ methodus nunquam labefactabunt,nunquam loco mouebunt.

CAR. Ego iampridem obſeruaui, Theſſale, (quod etiam in hac diſputatione magis confirmare voluiſti) tibi odioſam eſſe diſtinctionem omnem vt pote quæ doctrinæ tuæ fucum detegit: atque nobis præſtat vt facile contra tuas calumnias, Ariſtotelis doctrinam ſaluam retinere poſſimus.Sed age,in noſtra diſtinctione Analyſeos, quid exagites modo videbimus.Dixi Analyſeos primam vim in arte diſſerendi, ſpectari in reuocatione quæſtionis propoſitæ ad principia natura prima,per ea quæ ſunt intermedia,indeque demonſtrandi artem,Analyticam eſſe appellatam.Tranſlatum vero nomen hoc cum aliqua ſimilitudine a Geometris, indeque etiam noſtris deliberationibus accommodatum,quæ a fine ad media deſcendunt.Quæ mihi in hac arte prima ſignificatio eſt.Secunda autem, Generis vniuerſi in ſpecies diſtributio: quam tamen moneo non ſolum apud Platonem ſed & apud Ariſtotelem Diæreſin potius quam Analyſin nominari.Tertia totius integri in particulas vltimas per partes principes aut alias quaſuis intermedias: Iam quid eo in loco reprehendas videamus. *Ais illud ſophiſticum lexicon ex mea, & mei ſimilium ſophiſtica nihil ad rem eſſe, quod dicatur Analyſis tripliciter, primo Geometrica ab vltimis ad prima, ſecundo Ariſtotelea a primis ad vltima, tertio totius integri in particulas vltimas.* In quo mihi, ſicut ſoles multa imponis. Non enim dixi abſolute primam ſignificationem eſſe Geometricam:ſed primam in diſſerendo demonſtrandi arti accommodatam,de Geometris eſſe tranſlatam:quod hi in demonſtrando omniū exactiſsimi eſſe viderentur.Neque volui Analyſin(a qua demonſtrandi ars nomen habet,quæque vere Ariſtotelea appellatur)a primis ad vltima progredi,ſed potius ab vltimis ad prima.Quia in hac Analyſin facit (vt dixi)qui a concluſione,quæ demonſtranda eſt,deſcendit ad proximam cauſam:ab hac ad ſecundam,indeque ad tertiam, donec ad prima omnino peruenerit,in quibus animus conquieſcit, nec amplius priorem cauſam inquirit.Sin vero Ariſtoteleam Analyſin intelligi voluiſti, quæ per diuiſionem a genere ad ſpecies deſcendit, ideoque hanc a natura primis ad vltima proficiſci arbitratus es:dicere profecto debuiſti quo auctore in hoc deſcenſu genus natura primum, ſpeciem vltimam exiſtimaueris:cum Ariſtoteli aliud videatur cap.1.lib.1.Phyſ.Et cur hāc Analyſin potius quam quæ ad demonſtrandi artem pertinet, Ariſtoteleam nominaris:cum hic eam potius Diæreſin, alteram vero Analyſin ſemper ſoleat appellare.In illis vero tribus modis,quibus Analyſin dici volo,quid habes quod reprehendere poſsis:niſi omnino diſtinctionem omnem oderis?Nam quod dixi primo loco de Geometrica Analyſi,deque eius tranſlatione ad deliberationes noſtras in vita & moribus,& ad

rationem demonſtrandi: hoc ſi peccatum eſt, ab Ariſtotele peccatum eſt, non ſolum cap.3.lib.3.Ethic. Sed in tota demonſtrandi arte, ab omnibuſque eius interpretibus, atque adeo ab ipſis Geometris. Quod vero a me obſeruatum eſt, ſecundo modo Analyſin dici generis in ſpecies diſtributionem, vſque ad imas, magis eſt fortaſſe tuum quam Ariſtotelicum: Quid enim aliud quotidie clamas quam Analyſin iſta ratione progredi? Ergo in his duobus nihil adhuc habes quod poſsis reprehendere. In tertio de diſſolutione totius integri in partes, auctorem quoque Ariſtotelem ſequor: qui cap.1.lib.1.Analyt. priorum, ratiocinationis Analyſin fieri primum vult in pronunciata, deinde horum in attributum & ſubiectum: quæ inde Analyſeos extrema nominat. Eodemque modo tertia libri eius parte, ratiocinationis Analyſin in figuras debere fieri docet. Quæ ſi non ſufficiunt ad ea defendenda quæ vocas ſophiſtica, teipſum teſtem adhibeto: qui hanc totius integri in partes Analyſin, multis locis approbaſti. Ridendum vero eſt potius quam explicandum, quod quæris quo hæc totius Analyſis, quę a nobis ad tertium modum eſt relata, a prima differat, in qua concluſio ad ſua principia per ea quæ interiecta ſunt, reuocatur. Quid enim in Analytica arte videre potes, ſi quo iſta differant non intelligis? Ad quid vero hæc Analyſeos diſtinctio conferat, poſtea intelliges. Cætera videamus. *Analyſis (ais) tibi ex Ariſtotele quem non intelligis repetitur a Geometris.* Quid eſt quod hoc loco calumniaris? An Ariſtoteli me in eo impoſuiſſe dices, quod ex illo ſcripſi deliberationes noſtras Geometrarum Analyſin in deſcriptionibus imitari? Atqui ego locum indicaui: neque impoſtoris pœnam deprecor, ſi in eo falſitatem vllam poſsis detegere. Iam quod ais me non didiciſſe apud Euclidem & Archimedem Analyſeos nomen ad ſyllogiſmum tantum non ad methodum pertinere, falleris: nec ipſe intelligis quam antea appellauerim Analyſin Geometricam: aut quomodo dixerim eam ad artem demonſtrandi ab Ariſtotele eſſe tranſlatã. Hæc enim de qua tam multa ſunt in Analyticis, non pertinet tantum ad perpetuitatem doctrinæ vnius vel ſcientiæ, ſed etiam ad modum quo ſingulæ propoſitiones in ſuas cauſas retexendæ: Quæ etiamſi plures ſint ordine quodam inter ſe conſtantes, poſtea tamen vna demonſtratione, quæ ſyllogiſmus quidam eſt, colligantur. Quanquam huius non ſit omnino vnicum medium. Illud etiam addo, ſcientiam tribus extremis contineri, ſubiecto, affectionibus, & cauſis: Atque in ſingulis eſſe quiddam generale, itemque ſpeciale. In quibus explicandis a generali ad ſpecialia deſcendere, perpetuitatis eſt doctrinæ ſiue ſcientiæ, quæ apud Platonẽ, atque etiam fortaſſe apud Ariſtot. ad Diæreſin pertinet: quam Analyſin vocas, minime repugnante me. At in ſingulis huius perpetuitatis partibus affectiones quæ per ſe inſunt, in ſuas cauſas retexere, in Ariſtotelis doctrina, Analyſeos eſt proprium: a quo potius quam ab illo priore, hic

artem demonſtrandi Analyticam appellauit. Quod neſcio an tu adhuc in eo videre potueris. In eo quid commerui aut peccaui Theſſale? Addis etiam in Geneſi cornutum meum eſſe ſophiſma, nec indicas quid in eo cornutum videri poſsit. Credo cornuto magiſtro, vocabulum hoc excidiſſe, nec ſatis eum animaduertiſſe quale eſſet veteribus cornutum ſophiſma, aut vnde eiuſmodi nomen haberet. Mos iſte ſophiſtarum eſt, non Philoſophorum, ridendo eludere quod refutare non poſſunt. Ac de Analyſeos quidem ac Geneſeos itemque Diæreſeos & ſyntheſeos varia ſignificatione fortaſſe plus ſatis. Attende ſi placet quid in interpretibus Ariſtotelis a nobis primum ſit obſeruatum, deinde ex vſu notatum in grauiſsimorũ Philoſophorum ſcriptis, de propoſita quæſtione. Ac ne quæſo diſputationem meam interrumpas, cum huic finem fecero ſi quid habeas quod reſpondeas, reſpondebis. Maxima quæſtio eſt de methodo, & in diſſerendi arte digna Philoſophi præſtantia: vt in ea explicanda laborantes, minime vereri debeamus, ne a noſtræ profeſsionis munere receſsiſſe videamur. Hæc in diſſerendi perpetuitate ex collocatione multorum ad eandem rem pertinentium, ſed in illa non eundem gradum obtinentium, partem vnam inſtruit rationis eius quam nobis natura dedit: eo fere modo quo præcepta quæ de ſingulis argumentationum formis traduntur, dirigunt alteram ſingulis quæſtionibus per ſingula argumenta probandis accommodatam. Itaque perficit vt ea re homo homini præſtet, in qua poſita eſt ſumma eiuſdem excellentia, & propria naturæ dignitas: vtque hæc ipſa Philoſophiæ pars, ſiue miniſtra, quæ de diſſerendo eſt, ſuo iure eſſe dicatur ars artium reliquarum, non modo explicandarum, cum earum materia iam inuenta fuerit, ſed inueſtigandarum atque conſtituendarum. Hoc vero in ſcriptis tuis valde laudo & cupidiſsime amplector, quod iſtam methodum duplicem eſſe vis: vnam doctrinæ exactioris, alteram communis prudentiæ per omnia fuſæ, & in diligenti circunſtantiarum omnium obſeruatione ſitæ. Quã tamen fateris artis nonnihil habere, in qua a priore longo interuallo ſuperetur. Equidem veritatis vis te coëgiſſe videtur ad probandam hanc diſtinctionem, quam a circunſtantijs materiæ petitam, alio loco ſuperbe damnaſti: & idcirco a communi arte omnino alienam eſſe putaſti. Plato etiam primam methodi diſtributionem, in duas partes feciſſe videtur in Timæo cum rebus quæ tractantur quandam cognationem habentes: & Ariſtoteles in Logico organo, quod methodi præcepta potiſsimum complecti debet, eandem partitionem ſequutus eſt. Idem quoque in duabus illis methodi partibus moderandis & in maxima varietate circunſtantiarum (quarum obſeruationem methodo prudentiæ ſubjectam eſſe vis) tum rej, tum auditoris rationem habendam arbitratur. Rej quidem, quoniam vt ſcribit cap. 3. lib. 1. Ethic. Hominis eſt eruditi atque periti ſubtilitatem requirere in omni

genere, eatenus quoad rei natura patitur. Nihilque intereſt vtrum Mathematicum popularibus rationibus vtentem probes, an ab oratore neceſſariam rationem requiras. Auditoris vero, quia vt ait, lib. 1. minore Metaph. ad audiendum, morem conſuetudinemque afferre ſolemus: vtque audire conſueuimus, ita alios volumus dicere. Nec quæ ab ijs abhorrent ſimilia nobis videntur, ſed ignotiora & magis peregrina propter inſolentiam. Ex quo eſt profecta operum eius diſtinctio in Acroamatica, & Exoterica, quam Cicero notat lib. 5. de finibus ſed illam popularem quæ omnino præceptis definiri non poteſt, relinquamus: de eaque tantum agamus quæ Philoſophum, vt exactum veritatis inueſtigatorem ac iudicem inſtruit. Hic vt opinor, non modo veritatis iam cognitæ explicator eſſe debet, ſed eiuſdem inueſtigator ac diligens obſeruator. Et quanquam maximam laudem in inuentis apte, & diſtincte tractandis conſequatur, non minus tamen admirandus eſt in recte inueſtigandis & obſeruandis. Circa vero inuētionem duo notanda ſunt, vnum quidem quomodo ad rerum inquiſitionem ille excitetur, alterum cum iam excitatus eſt quanam inſiſtat via. In priore ab initio poſito fine, ad laborem erigitur, deinde gradatim deſcendit per media fini proxima, ad ea quæ ab illo ſunt remotiſsima: ſicut colligi poteſt ex Ariſt. lib. 1. Metaph. Cum autem vel neceſsitate, vel vitæ vſu, vel ingenua voluptate (talia enim fere ſunt quæ propoſitis finibus adiunguntur) ad ferendum laborem in rebus obſeruandis, excitatus eſt: tum contrario ordine in harum obſeruationem incumbit, ab vltimis progrediendo (quæ eadem alia ordinis ratione prima ſunt) atque ab ijs per medios gradus ad finem aſcendendo, in quem definit. In priore manifeſta eſt ea Analyſis, cuius rationem antea expoſuimus ex lib. 3. Ethic. in poſteriore Geneſis. Nam propoſito fine, media quærere per quæ is parari poſsit, eaque gradatim perſequi, ad eam Analyſin pertinet, quam in deliberationibus humanis Ariſtoteles eo loco notat, aitque Geometrarum Analyſin in deſcriptionibus imitari. Aſcendere autem a medijs ad finem, contrarij ordinis eſt: in quo Geneſin ponimus. Et quanquam vtraque progreſsio naturalis dici poſsit, id tamen diuerſa ratione accidit. Si quidem prior naturæ eſt res inſtituentis, aut de rerum procreatione quaſi deliberantis: poſterior eiuſdem iam gignentis. Quæ duo ſi verum fateri vis, Theſſale, non agnouiſti, nec certe in Galeno exagitando ſatis acute diſtinxiſti. Ille ait per iſtiuſmodi Analyſin artes eſſe inuentas. Tu, quia hoc aduerſari videtur doctrinæ tuæ de vnica methodo Analytica, tractandis artibus iam inuentis, non autem eiſdem inueſtigandis accommodata, ſcribis hoc Philoſophiæ Ariſtotelicæ (id eſt vt ego quidem interpretor, tuæ) contrarium eſſe. Omniumque artium inuentionem & obſeruationem licet ſummum artis finem propoſitum ſemper habeat, a ſenſibus oriri, & inductione ſingularum aſcendere ad

ſpecialia,& rurſum a ſpecialium inductione, ad generalia. Atqui artes inueſtigandas homines propoſito fine excitatos eſſe, indeque ad præceptorum obſeruatioñe(quæ a rebus ſingulis incæpit)deſcendiſſe Ariſtotelis ſententia eſt Metaph.1.omnium Philoſophorum firmata conſenſu.In illoque deſcenſu a fine, Analyſin conſiſtere, non modo idem fatetur lib.3.Ethic.Sed ipſe quoque agnoſcis,cum in eius methodi quã vnicam eſſe vis,eandemque Analyticam,partes quatuor diſtinxerimus, a fine ad media,a genere ad ſpecies,a partibus ad totum integrum, a cauſis ad res effectas.Sed aliud eſt quærere quid homines excitauerit ad artium inueſtigationem, & poſtquam excitati ſunt quo ordine in obſeruatione præceptorum ſint verſati.Excitati ſunt Analyſi quæ Diæreſis quædam ipſius finis videri poteſt.At in obſeruatione præceptorum, ſecuti ſunt Geneſin:quam per me etiam liceet Syntheſin nominare.Sed fortaſſe in ſuperiore Galeni loco hoc te male habet in quo nonnulli eius interpretes ſunt perturbati:quod per Analyſin artes inuentas ille ait:tu ex Ariſt.contendis illas potius perpetua Analyſi debere explicari.Cum tamen apud omnes certum ſit,& a nobis antea poſitum, ordinem,in inueniendo non minus eſſe diuerſum ab altero,qui in perpetua explicatione inuentorum tenendus eſt, quam deſcenſum ab aſcenſu, etiamſi vterque in eodem ſpatio verſetur. Quomodo igitur, inquies, per Analyſin artes inuentæ,& per eandem poſtquam inuentæ ſunt, explicantur?Facit hoc Theſſale,nominis huius multiplicitas:quam ſupra diſtinximus.Nam quia Analyſis dicitur de deſcenſu a fine ad media, & a generalibus ad ſpecialia: priore ad artium inueſtigationem homines excitati ſunt,atque deliberando ab illo per media gradatim deſcendentes,in animis artes ipſas conſtituerunt:poſteriore, in eiſdem explicandis ſunt vſi,ſiue quia vt Ariſtoteles ſignificat cap.1.lib.1.Phyſic.poſt effformatas in animis rerum ad aliquam artem pertinentium notiones,intellectus noſter ab vniuerſalioribus tanquam confuſis,ad ſpeciales vt diſtinctas & enodatas progredi,ſolet:ſiue quoniam, vt idem ait cap.1. lib.1. de partibus animalium, magnum in docendo vitium eſt ſæpius idem dicere:hoc vero effugere nemo poteſt,niſi hac methodo a maxime communibus ad ea quæ in ſpecialibus ima ſunt,per intermedia proficiſcatur.Quibus ita poſitis,facile iam eſt videre quam turpiter erres, non ſatis perſpecta iſtius multiplicitatis diſtinctione: vel quam malitioſe,tuo more,Ariſtotelejs falſam interpretationem affingas:vt in ea habeas commodiorem occaſionem calumniæ. *Ariſtotelis interpretes, ais lib.9.pag.52.ſuarum animad.Si huius Logicam probe noſſent, nunquam feciſſent Analyſin Geneſi priorem:ſed contra,Geneſin Analyſi vt Ariſtoteles fecit priorum Analyt.primo:feciſſentque omnino cum doctore ſuo Geneſeos Analyſin,non contra magiſtri doctrinam, Analyſeos Geneſin.*Ergo cum Analyſis per quam antea ex Galeni ſententia diximus homines poſito fine ad artium inueſtigationem

ſtigationem excitatos, Geneſim eam quam tecum appellamus a ſingulis, horumque obſeruatione, aſcenſum per inductionem ad vniuerſa antecedat, Ariſtotelis interpretes non ſine iuſta ratione Analyſin Geneſi priorem dixerunt. Nunc conſideremus quid te in iſta comparatione fefellerit: aut quomodo hoc tuum quanquam ſuperbum de antiquitate iudicium, aliqua ex parte verum videri poſsit. Geneſin fortaſſe appellas ſolam Platonis in Phædro eam Syntheſin, per quam in prima obſeruatione ſingula diſperſa in vnam ſpeciem colliguntur. Analyſin vero ejuſdem Diæreſin, per quam vt ait, articulatim res vnaquæque ſicut natura poſtulat per ſpecies diuiditur, poſtquam ſcilicet vniuerſæ notiones in animo, ſicut Plato vult, excitatæ ſunt: vel vt Ariſtot. arbitratur nouæ efformatæ. Quæ ſi tua eſt de Analyſi & Geneſi ſententia, per me licet dicas, Geneſin Analyſi priorem, & Geneſeos eſſe Analyſin non Analyſeos Geneſin. Verum ſi harum vocum neglecta multiplicitate, quæ Ariſtotelis interpretibus, atque etiam noſtro Alcinoo Platonico, eſt familiaris, cum te ad vnicam ſpeciem reuocaueris, & in hujus anguſtias nominis communionem contraxeris, in eaſdem illos velis cogere, de eaque ſignificatione hoc ab illis dictum arripere, de qua eo loco non ſunt locuti, an non ſentis iſto modo contra antiquitatem diſputare, Sophiſtarum eſſe, non Philoſophorum? *At Ariſtoteles inquis, in prioribus Analyticis ratiocinationis Geneſin prius explicat, quam eiuſdem Analyſin.* fateor. Sed in eo tuum ſophiſma agnoſce, quod a quæſtione contra veteres inſtituta de ea Analyſeos ſpecie quæ finis eſt in media, diſputationem transfers ad alteram, quæ integræ ratiocinationis eſt in pronunciata & ſimplices voces, tanquam in partes & elementa, in quæ nemo poteſt illam ſine errore diſſoluere, niſi qui prius nouerit ex ijs eandem componere. De diſtinctione autem Logici organi ad Analyſin vel Geneſin accommodata, id tecum contendo, ſi in eo Topicam artem ab Analytica ſeparaueris, ac in Analytica Categorias, & librum de interpretatione (communia quidem vtriuſque artis elementa, ſed huic potius quam Topicæ propter dignitatem adiuncta) fueris complexus, in hac per Geneſin ſiue vt Galenus loquitur, per Syntheſin, a primis elementis quæ Categorijs continentur, progrediendum ad id quod eſt in eadem ſummum & imprimis expetendum. Sed ita tamen vt eiuſmodi graduum diſtinctionem prius cognitam fateamur per cõtrariam Analyſin, a fine ad illa prima elementa deſcendentem. Quam ſecuti ſunt qui ad hãc artem ſpectato fine excitati, de ea conſtituenda primi certa quadam methodo cogitarunt. Nec vero Syntheſis ſiue Geneſis de qua in exemplo propoſito loquimur, ea eſt per quam notiones ex ſingulorum obſeruatione in animis efformantur (hanc enim tecum agnoſcimus, ex Platone & Ariſtotele, ad obſeruationem præceptorum, non ad explicationem pertinere) ſed altera quæ in conſtructione totius integri pri-

mum dicitur, indeque ad genus vniuerſum transfertur : quia hoc, vt Ariſt ait cap.1.lib.1. Phyſic. totum quoddam eſt: quippe quod multas ſpecies quaſi partes, complexu ſuo continet. Sed ita vt illa ſola nominis cōmunione in toto integro & genere vniuerſo eſſe dicatur, nec ſit in vtroque eadem ratio: neque in illis explicandis methodus omnino vnica, ſed potius contraria. Ex quo accidit, vt quando id quod ejdem arti vel ſcientiæ ſubijcitur, cum diuerſis comparatum, vtroque modo totũ quoddam eſt: nempe & integrum, quod ex quibuſdam quaſi membris cōponitur, & vniuerſum, quod naturæ ſuæ ambitu ſpecies plures complectitur (qualem in arte diſſerendi, noſtri ratiocinationem eſſe volũt, & in Phyſiologia corpus naturale) tum in ipſius artis vel ſcientiæ perpetuitate, methodus non vna ſemper & eadem, ſed duplex adhibeatur. Siquidem in illa, priore loco totius integri ex membris compoſitio apte explicatur, per eam quam Geneſin vel Syntheſin diximus poſſe nominari: poſteriore, generis in ſpecies ſuas diſtributio, ex altera methodi parte quæ ad Analyſin, vel Diæreſin pertinet. Nam cum in vtraque illius perpetuitatis parte multi gradus ſint, & in illis primum quiddam, aliud vltimum, Itemque intermedium: Methodum aliquam ponere eſt neceſſe. Quam ſi tu vnicam & ſpecie indiuiduam aſſeris : fatearis oportet, ſi conſentanea dicere vis, genus vniuerſum ad ſpecies vltimas & intermedias eodem modo ſe habere, quo prima elementa ad totum integrum, & eas partes quæ ſunt interiectæ. Quod quidem non ſolum doctrinæ Ariſtotelis omnino contrarium eſt, ſed tuis nugis non ſatis conſentaneum. Nobis vero non magis vitioſum eſſe videtur in eiuſdem artis perpetuitate, pro diuerſa ratione partium quæ incidunt, docendi methodum variari: quam in ipſius perpetuitatis particulis, eandem quæſtionem tractari argumentis, quorum collocatio partim ad differentes ratiocinationum figuras, partim ad diuerſos eiuſdem figuræ modos pertineat. Vt tibi in illa perpetuitate vnicam methodum aſſerenti, licuerit profecto eodẽm iure omnium ratiocinationum formam vnam conſtituere, Adeo vt ſoleam mirari, hoc etiam in mentem non veniſſe, vt noua omnia faceres. Vis autem vt hoc ipſum quod de methodo in eadem arte varianda hoc loco contendimus, apertius intelligatur, propoſito aliquo exemplo illuſtretur? Non dicam Ariſtotelis Logico organo, ratiocinationis vt totius integri Geneſin vel Syntheſin ex pronunciatis, de quibus agitur, libro de interpretatione, & pronunciatorum ex ſimplicibus vocibus, de quibus in Categorijs primum explicari: deinde eiuſdem vt generis vniuerſi, Analyſin vel Diæreſin in Apodicticã, Dialecticam, & Sophiſticam, quorum natura explicatur in Analyticis, Topicis, & Elenchis. Quod quanquam id probabiliter dicatur a multis, ſequi tamen non placeat hoc tempore: quoniam a te iampridem explōſum eſt, & mihi, vt libere dicam quod ſentio, non ſatis probatum. Sed illud modo rogabo, ſi quando Phyſica attigeris, atque hæc in inte-

grum reſtituere cœperis:an num in eis corporis naturalis compoſitionem ex materia & forma primum trades:deinde a generali huius ratione ad ſpecies vltimas per intermedias deſcendes? Hoc enim tibi placere ex tuis ſcriptis conijcio:& certe Ariſtotelem ita fieri voluiſſe facile colligo ex initio lib.1.Phyſ. Verum ſi id feceris, Theſſale, erit ne omnino eiuſdem methodi a materia & forma ad corpus naturale aſcendere, & a corpore naturali ad eiuſdem ſpecies deſcendere? Ego quidem in poſteriore Analyſeos ſpeciem vnam facile animaduerto: in priore qualem eam comminiſci poſsis prorſus non video:aut certe quoniam de vocabuli vi rectoque vſu inter nos agitur,ſi hanc Analyſin eſſe contenderis,neſcio quorum Philoſophorum conſuetudine tuam in eo opinionem poſsis confirmare. Atque vt in illa rerum naturalium explicatione,Geneſin cum Analyſi in varijs partibus perpetuitatis docendis, obſeruamus:& in hac conjunctione Geneſin,per quam corporis naturalis compoſitio explicatur,ejuſdem tanquam generis vnius, Analyſi priorem facimus:ſic accidere poteſt, vt in eadem etiam perpetuitate Analyſis cum Geneſi coniuncta,hanc merito nonnunquam antecedat: præſertim in artium compendijs, in quibus ad hominum ſtudia excitanda fine primo loco poſito,eoque aliqua definitione concluſo, artes ipſas Analytice conſtituimus:deinde in eiſdem a primis elementis breuiter expoſitis,ad id quod maximũ eſt,per Geneſin aſcendimus. Quam duplicis ordinis coniunctionem nos in artis diſſerendi compẽdio non infœliciter ſeruaſſe videmur,& ſi tua conſideras paulo attentius, eandem in tuis Dialecticis es ſecutus. Hoc vero quicunque facere inſtituunt:ab earum artium,quas tradere volunt, definitione incipiant, eſt neceſſe. Non quod ab hac artis compoſitio progredi debeat, in quam ipſa potius deſinit:ſed quia Analyſeos,quæ Geneſin præcedit,caput illa continet. Quod quidem in fine eſt poſitum:a quo optima artis definitio duci debet. Et certe Galenus in arte medica,quæ parua id eſt cõpendiaria appellatur,idipſum quod diſputo ſecutus videtur: in eo ordine quem definitionis eſſe ait. Quoniam hic non tam fortaſſe nouam methodi ſpeciem continet a duabus prioribus omnino diuerſam:quam duarum in vnam, collectionem quandam compendiariam. Si quidem quod eo libro Medicinam primo loco definit artem ſalubrium, inſalubrium,& neutrorum: deinde hæc tria quæ in definitione ſumpta ſunt per varios gradus diuidit,donec ad ima quædam(vt loquitur, non autem ſingula)ventum ſit;hoc ad Analyſin tuo more dictam,haud dubie pertinet. Quoad autem in explicandis partibus, quas Analyſis parit, aſcendit a primis ejuſdem artis elementis ad ea quæ in illa ſunt ſumma, vt ad morborum curationem,& valetudinis cõſeruandæ rationem, id non amplius ad Analyſin,ſed ad Synthesin potius videtur eſſe referendum. Et tamen hoc totum ordinis definitionis eſſe vult:nõ ſolum quod

a definitione incipiat,ſicut es arbitratus, ſed potius quod in partibus omnibus quàs illa ſiue Analyſis,ſiue Syntheſis parit, breui definitione fere ſit contentus. In quibus explicandis,alijs de Medecina ſcriptis idem ſolet eſſe longe prolixior. At cum artem iam inuentam,& per Analyſin conſtitutam,gradatim componere volumus:nec tam ad eam hominum ſtudia excitare,quam rudes inſtituere,atque eos a primis elementis,ad id quod habet ſummum,per Geneſin vel Syntheſin,quaſi manu ducere: tum,vt ab eius definitione incipiamus,nihil neceſſe:ſatiſque eſt,ſi cum ad partem principem ſummamque ventum fuerit, tum eius naturam definitione aliqua complectamur. Quoniam vereri debemus ne artis magnitudine, quam definitio breuiter ſolet comprehendere, ſtatim initio propoſita:rudes omnino deterreantur,potius quam excitentur, ac deſperatione debilitati,id in ea experiri nolint,quod ſe aſſequi poſſe diffidant. Itaque potius in ipſis elementis illi ſic erunt exercendi,vt adhuc neſciant quæ inſtituti ſumma ſit:ac tum demum hoc ſentiant,cum ad principem partem peruenerint: in qua totius artis definitio primo loco ponetur. Tu quidem,Theſſale,pueritiæ memoriam vltimam repetens de ſtudiorum tuorum forma nobis concedes quod voles:ego vero fatebor me puerum Grammaticam ſic didiciſſe,vt in ijs quæ de literis, ſyllabis,ſingulisque nominibus & verbis,tum tradebantur omnino neſcirem quo magiſtrorum in docendo,meus in diſcendo labor referretur. Deinde adoleſcentem,in Ariſtotelis Categorijs, & libro de interpretatione ſic eſſe verſatum, vt agnoſcerem in illis rudimenta tantum duarum artium,Topicæ & Analyticæ: quarum ſummam definitio earundem artium initijs ab Ariſtotele poſita,eſſet aliquando explicatura. Scio quid tu poſtea contra veterem doctrinam hac in parte diſputaueris, & de præterita Dialecticæ definitione quam graues contentiones contradicendi ſtudio inflammatas,in Peripatetica ſchola excitaueris. In quibus vt tibi facile concedo potuiſſe definiri diſſerendi artem,quæ deinde poſita definitione, per Analyſin in principes partes, harumque elementa diſſolueretur:a quibus rurſum Geneſis duceret initium & in finem artis eiuſdem definitione comprehenſum,deſineret:ſic tibi pernego ita fuiſſe neceſſario faciendum. Et ſi forte hoc modo communis ars fuerit expoſita,contra te conſtanter contendo vtrumque ad vnum & eundem ordinem non poſſe pertinere. Sed deſcenſum a definitione artis finem continente,ad prima elementa(qui breuiter initio fieri poteſt,partim vt auditor excitetur,partim vt rudibus primiſque lineis ductis,non omnino nouus ad artem accedat) ad eam Analyſeos ſpeciem eſſe referendum, quam in deliberationibus de vita antea obſeruauimus. Aſcenſum vero ab elemẽtis ad id quod eadem ars habet ſummum, ad Geneſin:non eam per quam notiones diximus efformari, ſed alteram,in qua oſtenditur quomodo vel totum integrum de ſuis partibus,

vel finis de medijs excitetur. Atque etiam illud addo, dum ſingulos gradus in Analyſi, vel Geneſi perſequemur, ſi quid in illis occurrat quod generale ſit & ſuapte natura commune multis, id ita eſſe explicandum, vt Analytice ſemper a generalibus ad ſpecialia deſcendamus: ne in illud vitium incidamus quod ex Ariſt. lib. 1. de part. animal. antea indicauimus. Hoc autem in eiuſdem doctrina tam frequentem Analyſin effecit: vt ex eo meo quidem iudicio, in hunc errorem de vnica methodo Analytica, ſis impulſus. Atqui iam ex ſuperioribus potes intelligere, non modo non eſſe eandem methodum in inueſtigando, & eo explicando quod iam inuentum eſt: ſed neque artis eiuſdem partes omnes in docendi perpetuitate, eadem methodo tractari: Nec eam quam Analyticam appellamus, docendis inuentis tantum eſſe accomodatam: Sed pro diuerſa Analyſeos ratione, ad artes in animis conſtituendas, cum de illis inueſtigandis agitur, eſſe neceſſariam. Quod de contraria Geneſi, itemque de Platonica Diæreſi ac Syntheſi, pro earum multiplicitate, eodem modo eſt intelligendum. Sed in ampliorem diſputationem quam ſperabam excreuit ſermo noſter Theſſale. RA. Sed animaduerte (quæſo) mecum hominem. Vt nugas ſuas admiraremur de reconditis ſuæ ſapientiæ theſauris magnum quippiam nobis pollicetur. *Attende (inquit) quid in interpretibus Ariſtotelis a nobis primum ſit obſeruatum, deinde ex vſu notatum in grauiſsimorum philoſophorum ſcriptis.*

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Nempe quod eſt apud eundem poëtam,
Parturient montes naſcetur ridiculus mus.

Imo ne mus quidem naſcetur. Nam hic glorioſus oſtentator qui tam lõgiſsimum de methodo ſermonem produxit, tantum abeſt vt quicquã contra poſitam ab initio quæſtionem attulerit, vt ipſe tandem (tanta vis eſt veritatis) ſua ipſius voce & confeſsione confirmauerit, quod vano & inani conatu ſibi videtur infirmare. Id vero aperte poſthac a nobis oſtendetur. Excuſat ſe in primis, ne quis putet tanti tamque excellentis viri maieſtatem imminui quod de methodo diſputet: Exclamat quæſtionem de methodo maximam eſſe, & dignam ſummi Philoſophi præſtantia. Quod ſane verũ eſt, ne quis putet hic falſa eſſe omnia. Eſt enim methodus ſingulare, vel cæleſte potius organum tractandarum artium, vt qui eo præditus ſit, digniſsimus artium profeſsione magiſter habendus ſit, qui careat indigniſsimus. Sed tamen hæc tibi faba cuditur, Carpentari, qui de methodo effudiſti quæ voluiſti omnia, nullam tamen methodi cognitionem, nullum eius vſum, nullam Logici ſalis micam demonſtraſti.

Ludere qui neſcit campeſtribus abſtinet armis, ait ille.

Tu valde nouitius es in hoc ludo, imo plane cæcus. Sed maximas Carpẽtarij diuitias attẽdamus Philalethes. Methodũ inueniendi inuenit: eius

partes duas facit: priorem quæ primum a fine poſito initio gradatim deſcendat, per media fini proxima, ad ea quæ ab illo ſunt remotiſsima, quam vocat Analyſin, & naturæ deliberantis eſſe dicit: poſteriorem, quæ deinde, contrario ordine, ab vltimis progrediatur, atque ab ijs, per medios gradus, ad finem aſcendat: hanc vocat Geneſin, & naturæ iam gignentis eſſe putat. Quo loco, Philalethes, (non enim amplius diſsimulare poſſum) mirabile mihi fuit audienti ſomnium illud de duabus inuentionis partibus, & de natura deliberante & gignente: equidem cum id enarraret obſtupui, & miſerabilem ſophiſticam iſtam in hoc homine deploraui. Naturæ deliberantis facit Analyſin a fine ſummo, per media, ad infima: Naturæ agentis Geneſin contrariam ab infimis per media ad finem ſummum: Et hanc vtramque itionem & reditionem inuentionis eſſe vult. Recognoſce Carpentari, recognoſce tandē iſtum vaporis, neſcio cuius e tuo cerebro tam tetre & caliginoſe exhalantis fumum. Analyſis tua inuenit artes omnes, deinde eas iam inuentas, Geneſis inuenit rurſum, modo contrario: nec ante incipit, tuo iudicio, inuenire quam per Analyſin omnia iam inuenta ſint. Quid hoc ſophiſmate abſurdius fingi, aut excogitari poteſt? Prior illa pars, quam tu vocas Analyſin, eſt methodus illa vera & ſingularis, quam omnes artes, inuentis partibus, & ſigillatim probatis, tota vniuerſi corporis forma ſequuntur. Et tu hanc methodum, de qua ſola tibi diſſerendū eſſet, etiam ſubijcis inuentioni? Et vltimam Logicæ diſpoſitionis partem, facis primam inuentionis partem? O Philalethes animaduerte, hominis hujus inauditam omnibus antea ſeculis Logicam cognoſce. *Inuentionis methodus duas habet (inquit) partes, quarum prior res ignotas inuenit, illo ipſo ordine, quo artes iam inuentæ collocantur: Poſterior eaſdem res iam prius inuentas rurſus inuenit.* Quid, rides ne? Iacobus, (inquam) Carpentarius, iampridem Philoſophiæ profeſſor, nunc tandem Medicinæ doctor, verſata diu multumque quæſtione de Methodo excogitauit tandem methodum inueniendi, qua prius artes per collocationem inueniantur, deinde earum iam inuentarum inuentio tanquam ignotarum, alia rurſus inſtituatur. Et (quod magis rideas) exultat iſtam bellam duplicis inuentionis diſtinctionem mihi ignotam eſſe, & ignorantiam cornuti huius elenchi putat mihi cauſam fuiſſe Galeni exagitandi. Egregie vero Galenum defendit. Atqui indignatus iſti patrono Galenus,

I, bibe (dixiſſet) purgantes pectora ſuccos,
Quicquid & in tota naſcitur Anticyra.

At ego Galeni cauſam iſtam multo aliter egi, laudes Galeno tantas attribui, quantæ ſummo alioqui Philoſopho doctiſsimo & eloquentiſsimo attribui poſſe videbantur: omnes eius de Logica locos vel ornaui, vel excuſaui, vel ad regulam conſtantis ac ratæ veritatis emendaui. Sed pergamus. Ad probationem illius tui ſophiſmatis de bicipiti inuenien-

di methodo falſo citas Ariſtotelis τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ Citas etiam quatuor illas methodos, quas in libris noſtris ſomniaſti: At ſpero te iam antea ex illo inſomnio excitatum & expergefactum eſſe. Tandem mirificam iſtam rerum inuentarum inuentionem, initio tibi tam bene fundatam, concludis, per multiplicitatis (vt tuo verbo vtar) diſtinctionem. A fine ſummo, per media, ad ima, & a generalibus ad ſpecialia, duo repugnantia progreſsionis & collocationis genera iudicas. Quid iam eſt reliquum, quod non iudices & niuem atram, & AEthiopem album? ignem frigidum, & glaciem calidam? verum in illo tuo ſophiſmate ridiculo quam valde tibi places? Eo Galenum antea defendiſti, nunc eodem illo Ariſtoteleorum interpretum errores defendis. At iſtud ſophiſma tam obtuſum, tam hebes, tantum abeſt vt aliorum errores excuſare poſsit, vt ipſum tibi auctori ſuo turpiſsimam ignominiæ notam inurat. Sed tamen multiplicitatis magiſter, quid ad quæſtionem de methodo artis collocandæ tam bella iſta & tam prolixa interpretum defenſio? Age vero reliquam admirabilis hujus Logici ſapientiam attendamus, Philalethes. Exultat ad finem iſtius defenſionis, & triumphat gaudio, permittitque vt varijs methodis, etiam in vna eademque arte, vti liceat. Ergo tibi licet Carpentari pro multiplici iure multiplicium tuarum methodorum, modo hac, modo illa pro tua libidine, vti atque abuti. O te hominem legibus tuis liberum & beatum, Carpentari, O nos ſeruos & miſeros, qui tam ſtudioſè & laborioſè methodum hanc vnicam & ſingularem, non ſolum in arte, ſed in qualibet quæſtione quæ perſpicue tractanda ſit, nobis tam ſanctè tamque religioſe obſeruandam & colēdam propoſuimus. Nunc vagare, digredere, ſomnia, comminiſcere, turba, miſce quælibet mendacia & commenta: methodi tam multiplices abs te inuentæ laudem Logicæ & gloriam, ſupra & contra methodicas Logicæ noſtræ leges, comparabunt. Iam vero iſtam de qua diximus licentiam admiratio non mediocris conſequitur. Miratur enim cur ego non fecerim vt vnicam collocandæ artis methodum, ſic vnicam ſyllogiſmorum figuram, vt omnia noua facerem. Noua ſunt huic homini & inaudita quæ apud Ariſtotelem maxime omnium decantata ſunt. Etenim, Logicæ noſter, Logica Ariſtotelis conſtituit in artibus, vt unicam methodum ſic vnam concludendi formam? Sed cum ſatis Carpentarius aduerſus Ariſtotelis demonſtrationem diſputauerit ad inductionem noſtram omni impetu oppugnandam venit. Age igitur, Carpentari, vnicam dicimus omnis artis diſponēdæ methodum eſſe, inducimuſque ad eam fidem teſtimonia Grammaticæ, Rhetoricæ, Logicæ, & cuiuſuis omnino diſciplinæ: nullamque artem eſſe affirmamus, quæ aliam viam vnquam tentarit. Tu quid reſpondes huic argumento? deeſſe ne aliquid inductioni? aliquam artem non progredi a generalibus, vniuerſalibus, communibus, ad ſpecialia, ſingularia, propria? Sed per Deum immorta-

lem Philalethes,ſtudioſe quid hic dicat mecum cognoſce.Multa inepta & ridicula in tanta quæſtione ab hoc homine adhuc extiterunt, ſed nihil adhuc tam ineptum,tam ridiculum,tamque deridendum fuit. Tria exempla aduerſus inductionem noſtram a Carpentario oſtentantur. Hominis igitur prima primum attentius audiamus,quomodo ſuas tam multiplices methodos in eadem arte interpretetur.Quæris ex me primum,Carpentari,ſi velim vt hoc ipſum quod de methodo in eadem arte varianda contendis,apertius intelligatur,propoſito aliquo exemplo illuſtretur.Equidem,maxime volo & cupio,& te denique ſummum Logicum arbitrabor,ſi rem tam incredibilem , tamque(vt ita loquar) impoſsibilem præſtiteris.Agedum igitur. *Non dicam(ais) Ariſtotelis Logico organo ratiocinationis Geneſin, vel Syntheſin ex pronunciatis, & pronunciatorum ex ſimplicibus vocibus primum explicari : deinde eiuſdem vt generis vniuerſi Analyſin vel Diæreſin in Apodicticam, Dialecticam & Sophiſticam. Quod quanquam id probabiliter dicatur a multis,ſequi tamen non placeat hoc tempore,quoniam a te iampridem exploſum eſt, & mihi vt libere dicam quod ſentio,non ſatis probatum.* Hæc tua eſt oratio,hæc tua verba ſunt Carpentari.Equidem, quoquo animo,magnam tibi gratiam debeo habeoque,non ſolū quod organi Logici tantam confuſionem,quantam libris animaduerſionum demonſtraui,tu tua teſtificatione, ſententia , auctoritate condemnes: Sed multo magis quod Logicæ artis exemplum multitudini tuarum methodorum conuenire non putes.Ergo noſtra inductio de vnica artis methodo adhuc per te ſalua eſt.Sed enim exemplum ſecundum profertur,quo ſcilicet ſubuertetur inductio,in quo non tantum a generalibus deorſum ad ſpecialia deſcendetur,ſed etiam ſurſum verſus aſcendetur.Nullum exemplum adfers:ſed interrogas me,quanam methodo Phyſicam expoſiturus ſim,& tibi ipſi,diſcipulus pro doctore,reſpondes me a materia & forma ad phyſicum corpus iturum , quæ tibi eſt Geneſis:deinde diſtributurum in ſpecies,quæ eſt tibi Analyſis. Ita tuo iudicio P.Rami Phyſica duas methodos habebit,Geneſin & Analyſin. Atqui ſi tibi a nobis precarium exemplum concederetur , tamen nihil eſſet contra quæſtionem,ſi corpus phyſicum initio(vt hæc methodus exigit)definitum diſtribueretur primum in materiam & formam , quales in omnibus artibus innumerabiles partitiones ſunt integrorum in partes : deinde diuideretur in ſpecies.Eſſet enim progreſsio totius artis nihilominus a generalibus & communibus ad ſpecialia. Corporis enim phyſici definitio generalior eſſet : & in eodem ipſo loco diſtributio in partes ordinem nihil mutaret, non magis quam ſi diceres , præpoſito definito ante definitionem,Analyſin mutari:forma enim artis ex totius corporis habitu ſpectanda eſt, non ex vnguiculo aliquo, definienda: verum enimuero,beatiſsime Logice,ſi verum a nobis perdiſcere,quam in iſta ludibria præceps ire maluiſſes,didiciſſes,vel ex Ariſtotelis, Logica,

gica,nihil in arte conſtituendum eſſe niſi καθ' αὑτό. neque ideo cauſſæ cuiuſquam mentionem potius in arte Phyſica,quam generis, & ſpeciei, quam ſyllogiſmi vel methodi, quam cuiuſquam denique Logici præcepti faciendam eſſe.Itaque ſolus & tecum, & ſine tuo(vt dicunt) hoſpite ratiocinatus,fruſtra tibi has rationes deputaſti.Ergo noſtra inductio per duo antecedentia exempla, adhuc integra eſt. Ecquonam tandem tertio exemplo demonſtrabis,artem totam aliquam non a generalibus ad ſpecialia progredi?Cupio te in hoc tertio exemplo attentum eſſe,Philalethes. Omnes artes, Grammatica, Rhetorica, Logica, Arithmetica,Geometria,& quæuis liberalis denique & ingenua diſciplina teſtes pene manu adducuntur a nobis,vt iudicetur ex earum ſententia ac voluntate,quæ methodus illis opportuniſsima,& commodiſsima videatur.Voce vna omnes reſpondent, a generalibus ad ſpecialia ſe velle progredi.Carpentarius negat & exemplum artis alicujus teſtimoniumque contrarium pollicetur.Tentarat primum in Logica Ariſtotelis teſtimonium teſtimonijs illis contrarium: ſed conſcientia neſcio qua motus,artem illam teſtem producere erubuit: imo tanquam ſibi contrariam ad nos remiſit.Phyſicam deinde teſtem produxit, ſed falſum ipſi teſtimonium impoſuit,& ab ipſo Phyſico Philoſopho repudiatum.Quid ergo? Quænam tandem ars Carpentario teſtis, contra vnicam P.Rami methodum,aderit?Grammaticane an Rhetorica?minime,artes enim illas vt methodi expertes deſpicit.Logicane?Antea iam, vt ſuſpecta,in P.Rami ſubſellia concedere iuſſa eſt.Vtrum de Mathematicis aliqua? hæ diſciplinæ ſunt huic homini peregrinæ & barbaræ. Quænam igitur tandem ars iſta fuerit?Aduerſus omnes artes ingenuas & liberales vnica & ſingulari via progredientes, citatur a Iacobo Carpentario,Iacobi Carpentarij compendium Dialecticæ, multis methodis inter ſe pugnantibus conſtructum,Analyſi a definitione ſuprema ad infima,Geneſi a primis elementis ad maxima.O ſtultum Platonem! O delirum Ariſtotelem!O.P.Ramum ſimplicem plebejos iſtos authores ſequutum,fruſtraque illi ſuæ artium inductioni & teſtificationi tantopere confiſum. Etenim valeat iam authoritas omnium artium liberalium & ingenuarum,& tota illarum inductio corruat, & iaceat neceſſe eſt,producto Dialectici noſtri de Dialectica compendio.Verum tamen heus Carpentari,per Deum immortalem,quid hic cogitaſti? Si de tribus capellis, imo de lana caprina, tibi lis eſſet, quo ore apud iudicem auderes & pro teipſo,& a teipſo teſtimonium afferre?Quæſtio iam eſt omnium quæ vnquam extiterunt in diſciplinis(quia de ipſarum forma, & tanquam anima agitur)maxima grauiſsimaque,maximæ grauiſsimæque inductionis argumento per nos confirmata: & tu hanc tibi videris contra maxime grauiſsimeque refutaſſe, ſi teſtimonium tuum confidenter oppoſueris? Artes omnes liberales ajunt ſeſe a generalibus &

vniuerſalibus ad ſpecialia progredi:Iacobus Carpentarius negat, quia Iacobi Carpentarij compendium ſecus procedat. Ergo,homo humanitatis expers,tuam vnius leuitatem & ſtultitiam omnium artium auctoritati ſapientiæque antepones? Quid ſi etiam tuum hoc tanti tibi ponderis teſtimonium a te improbatum antea & damnatum ſit,quid ſi onte iſta tua fiet? Agedum legatur iſtud tuum compendium, & conferatur cum prima illa organi Logici methodo a teipſo improbata & damnata, quid methodus illa interpretum a tui cõpendij methodo differet? certe nihil:niſi quod tu definis initio Dialecticam, in eoque noſtram methodum contra interpretes ſequeris. Expectaſne igitur, vt concludam tertium iſtud tuum exemplum nihil iam contra noſtram inductionem facere? Quis non videt eo non modo contra nihil effici,ſed etiam tuam inſignem temeritatem conuinci? Nunc diſputationem tuam perſequamur. *Dicis in compendijs* (quæ vt ſcis,rudibus proponi ſolent) *neceſſario a definitione incipiendum eſſe, ad hominum ſtudia excitanda.* Deinde paulo poſt,mentis & memoriæ impotentia neſcio qua clare & perſpicuè dicis,cum volumus rudes inſtituere, atque hos a primis artis elementis, ad id quod habet ſummum quaſi manu ducere,nihil eſſe neceſſe a definitione incipere:quod verendum ſit ne definitione initio poſita deterreàntur ac deſperatione debilitentur,hæc tua,& tuorum verborum incredibilis pugna tecum eſt. Hei mihi,quale animal, & quam indocile docendum ſuſcepi. *Definitio (ais) rudibus initio proponenda eſt: Definitio (ais) rudidus initio proponenda non eſt.* Item, *Definitio initio poſita excitat: Definitio initio poſita deterret, & deſperatione debilitat.* Diſſolue ænigma œdipe, & reſponde bipediſne, an quadrupedis animalis exiſtimari debeat: & de tot methodis tuis vnam aliquam, quæ te hinc expediat, àdhibeto. Quid deinde, nihil-ne eſt præterea? imo amplius. Nam hic magiſter ruit ſemper in pejus, ordo, ratio, & modus cum alijs in rebus omnibus, tum vero in ſtudijs tantum poſſunt, vt qui hæc teneat,tantum fere, quantum velit,efficiat:qui non teneat,fruſtra ſe cruciando nihil prorſus efficere queat. Itaque de ratione ſtudij & de inſtitutione iuuentutis,multa volumina a multis conſcripta ſunt. Carpentarius,qui illa non probat,nunc tandem ex ſua ſententia hac de re præcipit,& rem tantam vno verbo expedit. *Rudes (inquit) in ipſis artium elementis ſic erunt exercendi vt neſciant quæ inſtitui ſumma ſit*:tum(quod nunquam alias ſolet)ad hujus oraculi explicationem, addit paulo poſt exemplum,& quidem ex ſeipſo petitum,vt antea de compendio:ac dicit, *ſe puerum Grammaticam, adoleſcentem Logicam, ſic didiciſſe, vt omnino neſciret quo magiſtrorum in docendo, ſuus in diſcendo labor referretur.* En Carpentarij, & ſimilium Sophiſtarum methodum & ordinem: en ſtudiorum rationem & modum: O literas! ó artes! magiſter inauditæ fatuitatis, quæ vertigo mentis te impulit, vt clare hæc diceres? imo etiam vt venditares?

Mirabar vnde tibi tanta cum doctrinæ,tum iudicij inopia:Nunc cum te iſto modo inſtitutum eſſe glorieris,non iam miror amplius.Et tu,vt didiciſti,& vt docendum eſſe præcipis,ita etiam doces:nonne? Egregiam vero Reipub.operam nauas.Huc,huc omnes,qui bonarum artium ſtudio tenemini,huc vndique ſine mora concurrite : Iacobo Carpentario vos in diſciplinam tradite.Hic vos ſic docebit , vt neque quid ipſe ſibi velit , neq; quid vos agatis,intelligere poſsitis.Sed nullus vnquam finis erit,ſi ſingula perſequamur:ſtrictim igitur reliqua dicam. Audet Carpentarius noſtram Dialecticam ad ſuarum methodorum hyſterologiã aggregare.At quouſque tandem hominis hujus hæc tanta prorumpet audacia?Supereſt vt id oſtendamus quod ſupra monuímus,a Carpentario vnicam artium methodum & ſingularem cõprobari , gladiatoremque iſtum importunum ſuo ipſius gladio iugulari. Hic igitur Philalethes,qui oculis & corpore ades,mente ac iudicio adeſto.Rem magnam polliceor ſed tamen veram.Meminiſti enim profecto vt arbitror , Carpentarium dixiſſe de duarum ſuarum methodorum Geneſeos & Analyſeos confuſione. *Atque etiam illud addo,dum ſingulos gradus in Analyſi, vel Geneſi perſequemur,ſi quid in illis occurrat,quod generale ſit , & ſuapte natura commune multis:id ita eſſe explicandum,vt Analytice ſemper a generalibus ad ſpecialia deſcendamus:*Ex hac Carpentarij confeſsione , quod modo contendimus breuiter ac perſpicue concludemus:Hæc enim ſyllogiſmi noſtri abs te Carpentari propoſitio eſt:vbi nunc tandem pro nobis contra teipſum,quid ſit generale vere & cõmode interpretaris,quod ſuapte natura ſit commune multis:id quod antea nolebas.Aſſumptio repetatur ab Ariſt.At tria tota Ariſtotelis capita,ſeptimum , octauum , nonum primi poſteriorum præcipue iſtam materiæ artificioſæ συγγένειαν ἢ, ὁμογένειαν demonſtrant vt ſit artis vniuerſæ materia pene tanquam Categoria vnica , quæ cõplectatur γενικώτατον ἐπὶ τὰ ἄλλα εἰδικώτατα: ἑτερογενὲς autem in arte nihil ſit:Arithmeticum in Geometria eſſe ἀνεπίμικτον,& Geometricum in Arithmetica ἀνάριθμον.Hęc Ariſtotelis,de tribus artificioſæ materiæ notis,ſecunda nota eſt καθ' αὑτό. Sub eodem genere (ait) omnia artis ejuſdem propria comprehenduntur, ἢ ἁπλῶς, ἢ πῇ,aut abſolute,aut modo quodam:Abſolute vt ſpecies & differentiæ:modo quodam vt proprietates. Hæc Ariſtotelis , Carpentari ad propoſitionem tuæ confeſsionis maxima illa & veriſsima Logicæ velut oracula ſunt nobis aſſumpta.*Quoties(ais) generalia occurrent in arte & ſuapte natura communia ſemper a generalibus ad ſpecialia progrediendum eſt.* At Ariſt. aſſumit, & ait in arte perpetuum id eſſe : omnia generali aliquo & communi comprehendi.Conclude,igitur,Dialecticæ magiſter,& ſummã ratiocinationis confice,Quare in omni arte ſemper a generalibus ad ſpecialia eſt deſcendendum.Hæc palinodia tui ſtuporis conſcia,valde tibi turpis eſt:turpior tamen eſt etiam altera,ex Ariſtotelis illa tam decantata de-

monſtratione: *Magnum(ais) in docendo vitium eſt, ſæpius idem dicere: Hoc vero effugere nemo poteſt, niſi hac methodo a maxime communibus ad ea quæ in ſpecialibus ima ſunt, per intermedia proficiſcatur.* Hæc verba ſunt Carpentarij, Philalethes, aduerſus nos differentis non eſſe vnicam methodum a generalibus ad ſpecialia, & verba tamen, quibus iterum pro generalibus dicit maxime communia. Equidem non arbitror ſcientem & prudentem Carpentarium hæc promulgaſſe. Sed vi veritatis, oppreſſo, coactoque, nec quid cogitaret, aut diceret attento verba iſta excidiſſe. A generalibus id eſt maxime communibus (vt ipſe nobis, & pro nobis contra ſeipſum interpretatur) per intermedia ad ſpecialia proficiſcendum eſt: ſecus maximum Tautologiæ vitium euitari non poteſt. Ergo Ariſtoteles, Ariſtoteliſque demonſtratio a Iacobo Carpentario reipſa tandem defenditur: Ergo P. Ramus Ariſtotelem ſecutus a I. Carpentario collaudatur, & vnica artium methodus tandem aſſeritur: ſecus ait hic noſter methodicus Tautologiam fœdam fore. Hæc te Iacobe Carpentari, altera tam infamis palinodia, hæc te inconſtantiſsima, ſi vllam partem ſenſus habes, lacerat & cruentat oratio. Quamobrem reſpice te: hanc veram & rectam methodum quam imprudens nunc tandem aſſeruiſti, tu poſthac prudens ac ſciens tene: iſtas alias falſas & præpoſteras declina, vita, fuge. Sed operæ iam nimium in dedocendo hoc homine nobis conſumptum eſt. Quamobrem tempus eſt, Philalethes, vt huic diſputationi finem faciamus, tuamque ſententiam de quæſtione ſatis diſceptata pronuncies. Cognouiſti nunc & animaduertiſti vt arbitror quæ res in hac controuerſia verſetur. Et cum ab initio de methodo ordinandæ artis vtrum vnica ſit necne quæſtio eſſet inſtituta, ego vnicam eſſe demonſtraui, a generalibus ad ſpecialia argumento Ariſtotelis de intelligentia & memoria permagno, teſtimonio artium omnium ampliſsimo. Carpentarius multis probris & calumnijs in nos inuehitur: rationis & animi inopia & impotentia eſt. Rebus alienis & falſis abutitur, quod ego omiſerim methodum artium inueniendarum. Sophiſticæ hic copia & potentia eſt, comminiſci quiduis & confingere, non veris & proprijs argumentis contra cauſam agere. Tum duobus illis argumentis a nobis propoſitis, duo argumenta oppoſuit: alterum falſum quod methodus doctrinæ nō ſit vnica, neque numero, neque ſpecie: alterū παραδοξότατον, quod cento omni genere ſophiſmatis confutus, a ſuo etiam interpolatore improbatus, tamen authoritate teſtimonij & pondere aduerſus omnium artium ſplendorem, & dignitatem comparetur. Et vt hoc tam hebes & cæcum argumentum melius intelligeretur prius ſophiſticum lexicon produxit, quod Analyſis, Geneſis, Syntheſis, Diæreſis tripliciter dicantur, id eſt omnes viæ non ſolum rectæ, ſed etiam inuerſæ ac tortuoſæ methodi nomine comprobentur, ſic vt nulla quidlibet confundendi ſtultitia non ſit ei methodica. Denique accuſator ipſe theſim de

vnica artis methodo tam indignis modis accuſatam,tandem teſtimonio ſuo duplici confirmatam vindicauit. Hæc ſumma eſt totius diſputationis ſapientiſsimi Carpentarij contra P.Ramum de vnica artis ordinandæ methodo.

CAR. Ego profectò,Theſſale,in eo vim maximam agnoſco fucatæ tuæ eloquentiæ,quod quo loco mihi videor melius in hac diſputatione contra te philoſophatus, ſiue ſummorum virorum auctoritate, ſiue hac ſublata,ſolius rationis lumine iſta quæſtio terminanda ſit:in eo ita exultas,vt ſi res redierit ad homines in Philoſophia minus exercitatos,de me meaque cauſa actum ſit.Sed vt quidam ait,ſimplex eſſe debet veritatis oratio,eaque hoc loco nuda eorum de quibus agitur comparatione ſatis ſe defendet.De inuentione artium ſic diſſerueram,Duo in ea eſſe notanda, vnum quidem quomodo ad rerum inquiſitionem excitemur,alterum cum iam ſumus excitati,qua via debeamus inſiſtere.In priore,dixi nos fine ab initio poſito,ad laborem erigi: deinde gradatim deſcendere per media fini proxima,ad ea quæ ſunt ab illo remotiſsima: in poſteriore,cum ad laborem ferendum ſumus excitati, tum in rebus colligendis nos contrario ordine in harum obſeruationem incumbere:in illoque priore manifeſtam eſſe Analyſin,per quam artes inuentas Galenus ſcribit,in poſteriore Geneſin, quam ſupra monui Syntheſin quoque poſſe nominari.Quibus poſitis non ſolum tuis calumnijs videor liberaſſe Ariſt.interpretes,qui Analyſin Geneſi priorem fecerũt, ſed etiam explicaſſe aliquot tua ſophiſmata, ex eo profecta quod illis vocibus,quarum variam & multiplicem ſignificationem eſſe apud veteres negare non poteras,quaſi ſimplicibus vtereris. Tu ſi verum fateri vis illis omnibus commotus es:& tamen in poſterioribus omnino obmuteſcis,in prioribus quanquam conſtrictus tenearis,exultas quaſi victor,ne victus videaris.An putas neſcire nos hunc morem eſſe ſophiſtarum?Ad extremũ das operam,vt neſcio quo verborum artificio,lepido ſane & venuſto,obſcures ea quæ non poteras explicare. Audiamus vero ſalem qui in te eſt:*Analyſis tua(ait)inuenit artes omnes:deinde eas iam inuentas,Geneſis inuenit rurſum modo contrario,nec ante incipit tuo iudicio inuenire quam per Analyſin omnia inuenta ſint.*Facete ſane,ſed qua fide iſta omnia?Cur verba mea detorques,vel pro illis noua comminiſceris? Egregiam ſane laudem in eo es conſecutus,Theſſale,& triumphum dignum ſophiſtica victoria.Egone vero vſquam dixi artes Analyſi inuentas,Geneſi rurſum modoque contrario inueniri?Locum indica:victũ me omnino fatebor.Dixi quidem ad artium inueſtigationem homines primũ earum fine excitatos:deinde ab eodem gradatim Analytice deſcendiſſe, hancque eſſe eam Analyſin de qua Galenus initio artis paruæ eſt loquutus: eoſdem vero poſtquam excitati ſunt, ſingulas artis partes ex illa Analyſi conſtitutas per Geneſin obſeruaſſe, ad hancque obſeruatio-

nem inductionem aſſumpſiſſe:qua notiones vniuerſæ præceptioneſque ſunt collectæ:atque tandem in perpetuitate doctrinæ omnia ita expoſuiſſe,vt per eandem Geneſin,vel ſi mauis,per Galeni Syntheſin, a primis elementis ad id quod ſummum eſt gradatim aſcenderint. Sic enim Ariſtoteles ſcripſit cap.1.lib.1. Metaph. Vſu & exercitatione artem & ſcientiam comparari,illamque tum exiſtere cum ex multis experientiæ notionibus,vna quæ ad vniuerſum genus accommodetur,de rebus ſingulis naſcitur præceptio. Et eius interpretes , in tradendis ſimulque quaſi conſtituendis artibus vel ſcientijs,quarum ſubiectum totũ quoddam eſt integrum,eum ordinem tenendũ exiſtimauerunt,quem Compoſitionis appellauerunt.Cur vero non potero duo hæc in artibus notare,quorum in moribus manifeſta diſtinctio?An non eſt aliud deliberando a fine ad media deſcendere:aliud agendo a medijs ad finem aſcẽdere?Ecce autem mendacium nouo mẽdacio locupletas,dum hoc modo mecum agis.*Tu hanc methodum (ais) de qua ſola tibi differendũ eſſet,etiam ſubijcis inuentioni , & vltimam Logicæ diſpoſitionis partem , facis primam inuentionis partem.* Imo duobus verbis duplex mendacium complecteris. Quoniam Analyſis per quam dixi homines ad artium inueſtigationem excitari,ea non eſt de qua mihi contra te hoc tempore diſputatio : neque ea a me vſquam inuentioni,quæ partem priorem Dialecticæ continet,eſt ſubiecta:etiamſi inueſtigandarum artium methodus eſſe dicatur.Siccine ſemper Analyſeos multiplici ſignificatione illudes ? nec in ea vllam diſtinctionem admittes?Ego vtramque progrediendi rationẽ in Analyſi & Geneſi,dixi naturalem poſſe appellari , ſed tamen ratione diuerſa.Siquidem prior quæ a fine deſcendit ad media , naturæ eſt , inquam,res inſtituentis , aut de rerum procreatione quaſi deliberantis: poſterior eiuſdem iam gignentis.In quo dicam apertius me ſignificare voluiſſe finẽ natura priorem medijs,& media natura priora fine. Quod quoniam ſecundum eandem naturæ rationem non poterat intelligi, adhibui diſtinctionem meo iudicio neceſſariam. Tu vero qui omnem diſtinctionem ſemper odiſti de hac quid ſentis ? *Quo loco (ais Philalethi) mirabile mihi fuit audienti ſomnium illud de duabus inuentionis partibus , & de natura deliberante & gignente,equidem cum id enarraret obſtupui,& miſerabilem ſophiſticam iſtam in hoc homine deploraui. Naturæ deliberantis facit, Analyſin a fine ſummo, per media, ad infima: Naturæ agentis , Geneſin contrariã ab infimis per media ad finem ſummum.* Hui ! tamne monſtroſa tibi eſt iſta diſtinctio,vt eius auditu obſtupeſcas ? Atqui Ariſt. familiaris eſt , & in ejus doctrina omnino neceſſaria,atque a teipſo vſurpata,& ex naturalis rationis lumine profecta.Hæc ſi docuero Theſſale,nonne hac in parte obſtupeſcentem animum tuum compoſuero?Atqui mihi videor argumentis prorſus neceſſarijs te ad id confitendum poſſe adigere.Ariſt. cap.2.lib.1.Polit.ſcribit ciuitatem eſſe natura priorem domo,totumque

omnino prius ſua parte. Quoniam ſi totum ſuſtuleris, non erit, (inquit) neque pes neque manus, niſi forte eo modo quo lapideam manum dicimus: Cauſamque ſubijcit, quod partium ratio earum officio & facultate definita ſit, quæ duo ille ex toto capiunt: naturaque ſiue rej cujuſque perfectio, finis ejus eſt. Quoniam qualis res omnis genita atque perfecta, talem dicimus illius eſſe naturam. At cap. 1. libro ejuſdem, vult domum priorem eſſe ciuitate, ſi quis hanc ſpectet, vt naſcitur & coaleſcit. Non ſentis hîc noſtram diſtinctionem adumbratam? Idem apertius libro ſecundo Phyſ. ait naturam dici vt Geneſin & vt Geneſeos finem: prioreque modo in natura materiam antecedere, vt id ex quo aliquid gignitur, poſteriore formam, a qua vnumquodque primâ perfectionem capit. Sicque etiam cap. 7. lib. 1. Metaph. indicat, quod Geneſi poſterius eſt, idem naturæ ordine eſſe prius. Quod etiam apertius eſt cap. 1. lib. 2. de part. animal. Atque in hanc ſententiam ex lib. 1. Phyſ. & lib. 4. Metaph. manifeſtum eſſe poteſt, materiam natura priorẽ eſſe forma, quoniam vt ſubjectum in naſcendi ordine illa hanc antecedit, & formam natura priorem materia, quia hæc ab illa ſuæ naturæ & eſſentiæ perfectionem capit. omneque quod alteri dat eſſentiam, eo ipſo prius eſſe oportet. In ijs omnibus animaduertere potes vnum & idem cum eodem comparatum, dici natura prius atque poſterius, facile vero, ſicut opinor, mihi concedes ſecundum eundem naturæ modum, id fieri omnino non poſſe. Cum ipſe fatearis lib. 9. animaduerſ. tuarum, ijſdem, eadem priora ac poſteriora eſſe nullomodo poſſe. Ergo ad iſta explicanda naturæ diſtinctione aliqua opus eſt. Noſtra vero repudiata qualem eſſe afferendam arbitraris? Eam profecto hoc loco indicare debuiſti. Placuiſſet fortaſſe, pro illaque debitam gratiam tibi habuiſſemus. Sed video quid velis, Ariſtotelem damnabis prius quam iſtam diſtinctionem admittas: nec tibi erit religioſum, illum in eiuſmodi locis, quos comparauimus, ſibi contrarium fateri. Quid vero ſi ipſe in tuis ſcriptis, hac naturæ diſtinctione vſus ſis? An etiam in doctrina tua obſtupeſces? Atqui recognoſce hæc ex lib. 1. Animaduerſionum. *Alia (ais) docendi, alia naſcendi natura eſt. Res enim primo rudes & inchoatæ naſcuntur. Deinde vero ſuis vſæ progreſsionibus, paulatim augentur, tandem maturitatem ſuam quandam & perfectionem aſſequuntur. Verum alia ratio eſt doctoris doctrinam inſtituentis, alia naturæ creſcentis. Doctor enim ille conſummatiſsima & perfectiſsima quæque primo loco adhibet, vniuerſas quippe rerum definitiones, deinde genera & partes: ſecus enim doctrina non eſſet, niſi a clarioribus, abſolutioribus, antiquioribus rebus inſtituatur.* Deinde paulo poſt progreſsionem a rudibus & inchoatis, ad perfecta, naturæ naſcentis appellaſti. Quo loco vides, ſi quid videre potes, te naturæ naſcenti vel creſcenti id nominatim attribuere: quod cum nos naturæ gignentis eſſe diximus, obſtupeſcis, vt ais. Magnas quidem excitaſti tragedias more tuo quod compendiolum noſtrum Dia-

lecticæ ad teſtificandam duplicis methodi Analyſeos & Geneſeos in vna & eadem arte conjunctionem produxerimus, attamen negare non potes id nos in eo non præſtitiſſe. Nam dedimus operam, vt in illo quaſi vno aſpectu, lector intueri poſſet artis diſſerendi Analyticam conſtitutionem (non tuam, ſed eam quam ex Galeno antea commemorauimus, quæ fit per deſcenſum a fine ad media, quæ ad illum ſunt deſtinata) & eiuſdem Geneſin vel Syntheſin, per compoſitionem quæ ex primis elementis ad ea aſcendit quæ in re ſunt ſumma. Quos ordines, quotieſcunque in artium compendijs ita coniungere volumus, dixi eſſe neceſſarium a definitione incipere: quoniam hæc finem continet, a quo proficiſci neceſſe eſt iſtiuſmodi Analyſin, quæ Syntheſin vel Geneſin antecedit. Qui locus tibi ampliſsimus viſus eſt ad nouam calumniam: in qua ita exultas vt ipſe cogar fateri magnam eſſe vim ſophiſmatis tui, & mihi ab eo nonnihil eſſe metuendum, ſi non Philalethem diſceptationis noſtræ iudicem prudentiſsimum & æquiſsimum haberemus. *In compendijs (ais) quæ vt ſcis, rudibus proponi ſolent, neceſſario a definitione incipiendum eſſe vis, ad hominum ſtudia excitanda. Deinde paulo poſt mentis & memoriæ impotentia neſcio qua, clare, & perſpicue dicis cum volumus rudes inſtituere, nihil eſſe neceſſe a definitione incipere: quod verendum ſit ne definitione initio poſita deterreantur ac deſperatione debilitentur.* Hæc ſumma fide éx te commemorata ſunt, vtinam vero eadem religione noſtra vſurpaſſes. Quibus primum illud addis de tuo (*quæ vt ſcis rudibus proponi ſolent*) idque caute ſane, vt ei opponas quod poſtea dixi, cum rudes inſtituere volumus & ab elementis ad id quod ſummum eſt, quaſi manu ducere, nihil eſſe neceſſe a definitione incipere. Ex quorum comparatione, tibi fingis illud ænigma œdipo ſicut arbitraris dignum, *Definitio rudibus initio proponenda: Definitio rudibus initio non eſt proponenda.* Atqui ego Theſſale, quanquam Carpentarius ſim non œdipus, videor tamen ſophiſmatis tui periculum ſaluis rebus poſſe euadere. Nam quod de tuo adijcis, compēdia rudibus proponi ſolere, id ſi ita intelligis, vt velis apud rudes tantum ijs eſſe locum, tota via aberras. Quoniam medicinæ compendium a Galeno ſcriptum in arte quæ parua nominatur (de quo eo loco tecum diſputo) non tam rudibus propoſitum eſt: quam hominibus in hujus artis quaſi immenſo mari, diu multumque verſatis, atque volentibus ſuperioris nauigationis, multis annis confectæ, fructum in pauca contrahere, eumque in breuiſsima tabella deſcriptum, ad excitandam memoriam, ſibi ſpectandum proponere. Neque vero dico in omnibus compendijs a definitione eſſe incipiendum: ſed ijs tantum in quibus artis Analyſin cum eiuſdem Geneſi vel Syntheſi volumus explicare. Etenim paulo ante dixeram, accidere tantum poſſe, vt nonnunquam in eadem perpetuitate doctrinæ, Analyſis cum Geneſi coniungatur, hancque antecedat, præſertim in artium compendijs: tumque ab ipſa definitione, propter Analyſin eſſe

fin eſſe incipiendum. An idcirco tibi videor in omnibus artium compendijs, primo loco definitionem neceſſariam dicere? Equidem ſi hoc affirmarem, haberem te, ſat ſcio, ſententiæ meæ collaudatorem: ſed de eo iſto loco profecto non cogitaui. Id vero in quo mentis & memoriæ impotentiam mihi obijcis, nihil amplius pertinet ad coniunctionem Analyſeos cum Geneſi, de qua antea ſum loquutus, ſed ad ſolam artis Geneſin ſiue Syntheſin: nihil ad artium compendia, ſed ad earum fuſam explicationem. Quid ergo miraris a me hoc loco dictum cum eiuſmodi ordinem tenere volumus, nihil eſſe neceſſe a definitione incipere? Imo fortaſſe dicere potui, tum non licere totius artis definitionem primo loco ponere, Quoniam hæc rei ſummam continet. Ordo vero eiuſmodi non a rej ſumma incipit, ſed a primis eius elementis perducit ad ſummam. Non ſentis quam diſtincte a me ſint ea expoſita quæ tu malitioſe confundis, vt monſtroſum ænigma tibi fingas, ad idque diſſoluendum œdipo opus eſſe clamites? Atque quod hoc poſteriore loco deſſeruimus, idipſum eſt quod in Analytica arte (Topicam non complector) Ariſtotelem feciſſe dicimus. Nam cum illi adiuncta ſint ea quæ de ſimplicium vocum ordinibus in Categorijs, & de pronunciatis libro de interpretatione ab eodem traduntur, in ijs ſic nos exercet, vt nullam totius artis definitionem initio ponat, ſed a primis elementis per intermedia, ita manu ducat, vt ex illo adhuc neſciamus quæ inſtituti ſumma ſit: verum hoc tum demum attingat, cum ad ipſam Analyticam artem eſt peruentum. Idipſum eſt, quod Grammaticos in ſua arte ante te natum feciſſe dico, & quod nos in hac ipſa, ſicut & in Logica diſcenda ſequutos nunquam pudebit, prædicare. Cur enim mihi turpe erit confiteri iſtas artes eo modo didiciſſe, quo veteres atque imprimis Ariſtoteles docuerunt? Poſtea Theſſale vt firmius hæreant auditorum omnium animis aculej ſingularis artificij tui, id eſt impoſturæ atque calumniæ, ita mecum agis quaſi omnino negauerim in docendi methodo vllum eſſe deſcenſum a genere ad ſpecies imas, per intermedias. In eoque vt me meo gladio ingulaſſe videaris (ſatis enim tibi eſt modo videaris) ex noſtra diſputatione profers locos duos, quibus hunc progrediendi modum ex Ariſtot. confirmaui. Atqui Theſſale, nunquam de illo deſcenſu dubitaui: nunquam de eo tibi eripiendo cogitaui: hunc in Ariſt. & alijs Philoſophis potius quam in poëtis & oratoribus, qua potui diligentia meis ſemper indicaui, & ipſe in ſcribendo vel docendo quoad potui, ſeruaui. Atque quanquam in vtroque tibi videar valde perturbatus, ſum tamen eius obſeruatione (quod ſine inuidia, apud viros bonos dicere poſſum) nonnullam commendationem, perpetuo annorum viginti docendi munere, in Academia conſequutus. Verum aliud inter nos eſt controuerſum, & hoc quidem non vnum & ſimplex, ſed in aliquot capita diſtributum. Primum enim inueſtigandarum artium ſicut

& inſtituendarum, poſtquam ſunt inuentæ, methodum aliquam eſſe volo, eamque pernego potuiſſe a te comprehendi ſub inuentione, quæ tibi tantum ſingulorum argumentorum eſt: multo vero minus ſub diſtributione, cui eſt omnino contraria. Illudque addo eo ipſo loco ex quo orta eſt tua diſputatio, Ariſtotelem, ſi methodi vllam rationem habuit, illam quam prætermiſiſti potius indicaſſe, quam alteram in qua explicanda totus es. Deinde etiamſi de methodo artium & ſcientiarum inſtituendarum tantummodo inter nos agendum ſit: Nego tamen eam omnino eſſe vnicam atque indiuiduam quamuis tibi etiam concedam quod negare poſsim, in omni arte inſtituenda progrediendum eſſe ſicut vis a natura prioribus. Quoniam quod dicitur prius altero, etiam natura, non vnius modi eſt, ſed varium & multiplex. Quandoquidem finis natura prior eſt medijs, & media fine, Itemque totum natura prius partibus, & partes toto, & tamen non idem modus omnino atque indiuiduus, progrediendi a fine ad media, & a medijs ad finem, a partibus ad totum, & a toto ad partes. Ex quibus intelligi videtur methodum doctrinæ iuſtituendæ, numero vnicam dici non poſſe, quæ a prioribus natura ad poſteriora progrediatur: cum hoc ipſum, a prioribus natura progredi, nemo ſanæ mentis vnicum dicere poſsit: quod tamen a te nullo prorſus loco eſt diſtinctum. Poſtremo cum Analyſi tua ſis complexus progreſsionem a genere ad ſpeciem, a cauſa ad effectum, a fine ad media, a partibus ad totum, & nonnunquam pro tua *inconſtantia*, a toto ad partes: quoniam in ea varietate de vocabuli vi quæritur, ſæpe diximus, a te iampridem expectari vt doceas, quibus authoribus, Analyſeos nomine iſta omnia complectaris. Habes Theſſale, controuerſiæ inter nos non ignobilis, potiſsima capita. Nunc igitur Philalethes ad te me conuerto, audiuiſti iam controuerſiam noſtram, intellexiſti quæ hactenus a me contra hujus ſententiam de vnica artis ordinandæ methodo ab initio propoſitæ diſputata ſunt, nihil præterea ſupereſſe video, niſi vt tuam de hac inter nos contentione ſententiam dicas, cum te huius controuerſiæ iudicem conſtituerimus, teque eum ſemper habuerimus qui veritate tantum adductus cum vtriuſque partis argumenta audiueris non vni magis quam alteri fauens libere ſententiam pro eo laturus eſſes, qui tuo iudicio veram opinionem defenderit contra eum qui fuerit errore deceptus. RA. Age igitur, Philalethes, nunc tua de re propoſita ſecundum ea quæ audiſti argumenta proferatur ſententia. PHIL. Veſtram diſputationem controuerſiamque, Doctiſsimi viri, iam totam audiui, animaduerti, cognoui. Vis Rame vnicam eſſe artium omnium diſponendarum methodum, Tu Carpentari contra multiplices eſſe artium ordinandarum methodos contendis. Hæc totius diſceptationis veſtræ principalis quæſtio eſt, ex qua orta eſt hæc tanta inter vos contentio, quod in hac propoſita de methodi numero quæſtione, alteri ſin-

gularis,alteri pluralis numerus placeat.Adjungis præterea Carpentari inueniend:rum artium methodum a P.Ramo prætermiſſam:Tu Rame artium inueniendarum methodum a te prætermiſſam eſſe negas, ac ſi illam etiam prætermiſeris id nihil ad rem propoſitam attinere contendis.Ex ſuperioribus & aliam inter vos diſcrepantiam animaduerto profectam,quia artes omnes Carpentari per Analyſin & Geneſin inuentas eſſe aſſeris, Itemque per Analyſin & per Geneſin collocari poſſe pro diuerſa Analyſeos & Geneſeos ratione:Tu vero Rame artes omnes per Geneſin inuentas eſſe & per Analyſin diſponendas eſſe tantummodo contendis. Nonne hæc totius controuerſiæ veſtræ ſumma eſt Rame? R A. Maxime.P H I L. Et tu Carpentari,quid dicis?C A R. Maxima cōtentionis noſtræ capita tetigiſti Philalethes. P H I L. Placet igitur tibi Rame quid de controuerſia veſtra vno verbo dicam quod ſentio? R A M V S. Placet. P H I L A L E T H E S. Placet tibi Carpentari? C A R. Perplacet.P H I L.Equidem vos ſentio de propoſita quæſtione verbis tantum, re autem ipſa minime diſſentire.Hæc mea ſententia, hoc meum de diſceptatione veſtra iudicium.R A.O Philalethes cū rem tecum attentius conſideraueris momentoque ſuo ponderaueris, aliud fortaſſe ſenties.P H I L.At Rame ego rem mecum in animo attētiſsime conſideraui,& diligentiſsime perpendi,nec tamen vllam rei inter vos diſcrepantiam animaduerti.C A R.Sed non eſt veriſimile Philalethes vt ego qui plures artis cuiuſlibet inſtituendæ methodos eſſe cū vetuſtioribus contendo,ille vero qui vnicam methodum eſſe affirmat, reipſa idem ſentiamus.P H I L.Imo vero Carpentari,nihil eoquod dico verius.Verumenimvero vt meam de veſtra contētione ſententiam veriſsimam eſſe vobis perſuadeam,primum claris argumentis & quidem a vobis ipſis vſurpatis,deinde artium omnium liberalium inductione & exemplis oſtendam quod vterque veſtrum eodem modo, eademque methodo artes ac ſcientias omnes tradendas eſſe exiſtimet,atque ita de artium inſtituendarum methodo omnino idem ſentiat.Sed prius audi parumper Carpentari,eſt aliquid quod ſeorſum ex te quærere cupio. C A R.Quidnam eſt Philalethes?P H I L. Non mihi concedes rectam artis inſtituendæ methodum a natura prioribus ſemper proficiſci debere?C A R.Id negare quidem poſſum Philalethes vt dixi in per oratione diſputationis noſtræ.P H I L. Probe ſane commemini,ideoque id ex te iam quæro,ſed qua de cauſa id negare poſſes?C A R.Quia in pleriſque ſcientijs vel artibus id neque poteſt neque vult:ſed a poſterioribus natura,nobis vero notioribus ad ea deducit quæ ſecundum naturam ſunt priora.Sic enim animaduerto Ariſtotelem cum in alijs Phyſicis locis multis feciſſe tum in quæſtione de anima(quæ vt opinor methodi quadam perpetuitate tractatur)nominatim præcepiſſe, vt ex obiecto progrediamur ad actionem,ex actione ad facultatem , ex facultate ad ali-

quam capiendam coniecturam de ipſius animæ eſſentia. Sic quoque video medicos ex ſignis deducere ad cognitionem morborum, ex ijs ad cauſas. Sed tamen ijs prætermiſsis facile concedam in omni doctrina inſtituenda progrediendum eſſe a natura prioribus, quoniam id licet cõceſſero, non eo efficitur, vt methodus doctrinæ inſtituendæ omnino vnica & indiuidua ſit de qua iam contendimus. PHIL. Enimuero Carpentari id tibi etiam neceſſario concedendum eſt, aut aliter noua tibi erit contra P. Ramum inſtituenda diſputatio. Si enim initio diſputationis tuæ propoſuiſſes te ab illo etiam hac de re diſsidere, in cuius fidem duo illa quæ iam citas exempla protuliſſes, contra te ſine dubio contendiſſet nullas artes ac doctrinas alia via progredi quam a generalibus ad ſpecialia & ideo a natura prioribus & notioribus ad natura poſteriora & ignotiora, tibique negaſſet Ariſtotelem in quæſtione de anima id præcepiſſe quod dicis ad perpetuam eorum omnium quæ de anima traduntur explicationem, ſed ad eſſentiam animæ inueſtigandam tantum eiuſque definitionem colligendam. Ac inficias iuiſſet medicos ita vt dicis procedere in perpetua doctrinæ medicæ expoſitione, ſed aliquando quidem ex adiũctis ſignis morbi genus dignoſcere, & ex morbi notione eius cauſas percipere. Ac ſi tu Ariſtotelis præceptum ita intelligendum eſſe vt interpretaris acerrime contendiſſes, Ariſtotelem non eam ſequutum eſſe quam præceperit methodum rurſus negaſſet, quia Ariſtoteles propoſitis lib. 1. de anima veterum de animæ natura opinionibus, initio lib. 2. vbi incipit ex ſua ſententia de anima philoſophari, animam in primis generatim definit, deinde eam ſpeciatim ex adiunctis facultatibus alendi, ſentiendi, ratiocinandi ſpecialius deſcribit, tum duas primas facultates & ſingulas earum ſpecies, toto lib. 2. explicat, de tertia lib. 3. agit. Atque ita vbique procedit a generalioribus ad ſpecialia. Præterea dixiſſet ſi nos in methodica artis cuiuſlibet collocatione a nobis notioribus procedere contingat, eadem nobis notiora, etiam abſolute ſuaque natura notiora eſſe. Quia quamuis generalis notio ſpeciali ſimpliciter & natura prior & notior ſit, ſpecialiſque generali ad nos & tempore prior & notior, quia tempore prius cognouimus ſpecies quam genus: tamen cum genera ſpecieſque cognouerimus, genera ſunt non ſolum natura ſed etiam nobis & noſtris ſenſibus clariora & notiora. Generalia enim non ſolum mente, ſed etiam ſenſibus ad obiectas res cognoſcendum promptius & euidentius occurrunt vt quod eminus mouetur primum iudicamus eſſe animal, deinde propius inſpicientes hominem, tum demum Socratem, vt Ariſt. in Phyſicis docet. Qua de cauſa cap. tertio ſexti Topici negat definitionem rectam, & legitimam eſſe niſi contingat idem nobis notius eſſe & abſolute notius. Ac ſi cuj fortaſſe videantur in nonnullis rebus tradendis a notioribus nobis progredi quæ eadem non ſint etiam natura notiora vt ſuam for-

te rudium plane auditorum imbecillitati doctrinam accommodent (quoniam animus rudis plane & ignarus rerum omnium qualis eſt in infante res primo ſingulares ſenſibus apprehendit) methodum prudentiæ quam antea probaſti ſequi eos aſſeruiſſet, quoniam in prudentiæ methodo res præcedunt non omnino & abſolute notiores ſed ei qui docendus ſit conuenientiores. Sed Ramus nos proſpicit Carpentari, forte miratur quid nos tandiu ſuſurremus, ad eum redeamus.

Iam me accingo Rame ad veſtram de artium inſtituendarum methodo diſcrepantiam non rerum ſed verborum tantum eſſe demonſtrandum. Ac imprimis ſic argumentor:

> Methodus in qua ea præcedunt ſine quibus conſequentia intelligi non poſſunt, in artibus omnibus perſpicue explicandis perpetuo ſequenda eſt:
>
> Sed ambo arbitramini in artibus dilucide explicandis ea præcedere ſemper debere, ſine quibus conſequentia intelligi non poſſunt, quamuis in definiendo quænam illa ſint (an videlicet partes an totum integrum an totum vniuerſum & alia ejuſmodi) multum verbis inter vos diſſideatis:
>
> Ergo in artibus recte tradendis vnam & eandem genere methodum perpetuo ſequendam eſſe ambo ſentitis.

Propoſitio clarior eſt quam vt probatione egere videatur, cum nulla præſertim ordinis ratio ad cognitionem & intelligentiam rerum in artibus explicandarum facilior fingi aut excogitari poſsit.

Aſſumptionem vero mihi fateberis P. Rame cum libro 9. tuarum Animaduerſ. multis locis ea præcedere perpetuo debere affirmes ſine quibus conſequentia intelligi nequeunt, cumque initio huius diſputationis aperte definiueris methodum quam in docendis artibus probas illam eſſe in qua primum illud ſit quod per ſe queat intelligi, cætera autẽ ſine ipſo nequeant: ſecundum quod a primo pendeat, ab eo autem ſequentia, eadem ratione tertium, quartum, quintum & reliqua deinceps collocentur, ita vt ſemper natura priora & clariora præcedant, natura vero poſteriora & obſcuriora conſequantur. Nec tu quoque aſſumptionem mihi negabis Carpentari, cum antea P. Ramum (tum cum id omne ſine quo alterum intelligi non poteſt eſſe illo generalius inficiareris) ad confitendum compuleris non in collocandis artibus modo, verumetiam in inueſtigandis progrediendum eſſe ab antecedentibus ad conſequentia, antecedentiaque ea eſſe ſine quibus conſequentia intelligi non poſſunt. Sed iam de collocandis tantum loquor artibus quarum omnia præcepta iam inuenta & ſigillatim probata ſunt, ex quibus illa antecedere vobiſcum volo quæ poſſunt ſine cæteris intelligi, cætera autem ſine illis nequeunt.

Ergo ex his duabus veris præmiſsis neceſſario concludetur quod ambo

idem methodi genus in tradendis artibus cognoſcatis & probetis.
At ego amplius dico vos eandem ſpecie methodum in ordinandis artibus amplecti:idque hoc confirmo argumento:

Methodus quælibet eadem ſpecie eſt cum alia methodo, quæ iiſdem progreſsionis gradibus, eodemque modo diſpoſitis conſtat.

Sed Methodus quam ambo ſequimini in artibus tradendis, a genere ad ſpecies progreditur,aut a partibus ad totum,aut a fine ad media,a cauſis ad effecta,omninoque a natura prioribus ad natura poſteriora,quanquam hic vos multum etiam reipſa diſſentire fateor,quoniam tu hanc Carpentari artis ordinandæ methodum multiplicem eſſe exiſtimas quod plures progrediendi modos complectatur,ac in varias quaſi ſpecies diuiduā illam putes:Tu vero Rame hanc omnino vnicam eſſe vis & indiuiduam quod hi quatuor progreſsionis modi inter ſe non differre tibi videantur,quia his modis omnibus ſemper a natura notioribus progrediatur. Quoniam qui a cauſis ad effecta progreditur,is a natura prioribus ad natura poſteriora progreditur:is autem a cauſis ad effecta progrediatur qui a genere ad ſpecies progreditur,quia ex Ariſtot.Generalia ſpecialium ſunt cauſæ.Et qui a fine ad media,quod finis cum medijs comparatus vnius cauſæ eiuſdemque nobiliſsimæ rationem obtineat.Et qui a partibus ad totum,quia partes totius cauſæ ſunt. De qua diſſenſione quid ipſe ſentiam poſtea dicam.

Ergo eandem omnino ſpecie methodum ambo re vera ſequimini in ordinandis artibus.

Propoſitione huius ſyllogiſmi nihil clarius,nihil verius.Quis enim non videt eam methodum quæ gradatim a generalibus ad ſubalterna,ab his ad ſpecialia,aut quæ a partibus ſimplicioribus ad magis compoſitas,indeque ad totum integrū progreditur,cum alia methodo quæ per eoſdem omnino gradus incedit omnino & re vera eādem eſſe?Quis ignorat ſpecie eſſe vnam & eandem? Ariſtoteles cap. 6 lib.4. Metaphyſ. Ea ſpecie vnum eſſe ait quorum vna eſt ratio.

Aſſumptionem vero negare non potes P.Rame, cum enim Carpentarius ſupra conſtanter omnes hos progrediendi modos methodo quam probas nominatim te complexum eſſe contenderet,Tuque negares vllam a te eſſe vſquam de progreſsione a partibus ad totum factam mentionem,tuo teſtimonio tuiſque exemplis te cōuicit,probauitque multis ex Animaduerſ.tuis citatis locis,tibi placere in tradenda Grammatica & Geometria a partibus ad totum progreſsionem. Noſque etiam in omnibus fere tradendis artibus id te velle,& tibi familiare eſſe exemplis poſtea illuſtrabimus. Reliquis autem progreſsionis vocabulis di-

uerſis in locis te vſum eſſe, ipſe confeſſus es, ſed his verbis vnam ſemper & eandem methodum a generalibus ad ſpecialia ſignificaſſe affirmaſti. Nec te aſſumptionem etiam Carpentari negare poſſe certo ſcio, cum te hos etiam progreſsionis modos probare & ſequi in artibus tradendis ipſe fatearis. Sic enim antea contra P.Ramum diſputans dixiſti: *Ego quidem certe quanquam non dubitem quin in docendis artibus progredi poſsimus a fine ad media, & ab elementis ſimplicisſimisque partibus ad compoſita, vix tamen aſſentiri poſſum vtrumque ad methodum vnicam & ſpecie indiuiduam pertinere.* Et in peroratione diſputationis tuæ hoc modo P.Ramum alloqueris: *Ita mecum agis quaſi omnino negauerim in docendi methodo vllum eſſe deſcenſum a genere ad ſpecies imas per intermedias. In eoque vt me meo gladio iugulaſſe videaris, ex mea diſputatione profers locos duos, quibus hunc progrediendi modum ex Ariſtot. confirmaui. Atqui Theſſale nunquam de illo deſcenſu dubitaui: nunquam ab eo tibi eripiendo cogitaui: Hunc in Ariſtotele & alijs Philoſophis potius quam in Poetis & Oratoribus qua potui diligentia meis ſemper indicaui, & ipſe in ſcribendo vel docendo quoad potui ſeruaui.*

Itaque ex firma propoſitione, aſſumptioneque certa & a vobis ipſis probata iam concludo vos ambo vnam & eandem ſpecie methodum in inſtituendis artibus probare & amplecti.

Non autem hoc loco artis cuiuſlibet ordinandæ methodum ſpecie vnicam eſſe ſimpliciter dico, hac enim de re iam non diſputo: ſed quam in tradendis artibus methodum P.Ramus laudat, quam amplectitur, ſiue omnino vnica & indiuidua ſit, ſiue multiplex & in plures partes differentes diuidua, eandem ſpecie methodum Carpentari te probare, eamque vnam te ſeruare contendo. Quamque P.Rami methodum Carpẽtarius ſequitur, eandem te ſpecie & reipſa methodum, ſed (vt ingenue dicam quod ſentio) accuratius te ſeruare affirmo, licet diuerſis nominibus ſignificetur.

Age igitur apertius & diſtinctius etiam explicabo vos re eandem, nominibus autem diuerſam methodum in tradendis artibus ſequi. Vtque id facilius intelligatur, tuam Carpentari de artis ordinandæ methodo ſententiam cum P.Rami ſententia primum conferam, id eſt vtramque ſententiam inter ſe comparabo. P.Ramus methodum artis ordinandæ diſpoſitionem eſſe perpetuam a propriorum artis præceptorum quæ a natura prioribus & notioribus ad poſteriora & ignotiora procedat arbitratur. Et quoniam viam quæ a generalibus & vniuerſalibus ad ſpecialia & ſingularia progreditur eam ſolam procedere a natura prioribus & notioribus cenſet, idcirco hanc vnicam & ſingularem in diſponendis artium præceptis, methodum tenendam eſſe ſentit. Sic diſponẽdum eſſe exiſtimat ex homogeneis artis præceptis primo loco abſoluta notione primum, ſecundo ſecundum, tertio tertium, & ita deinceps vnumquodque quod hac ſola & vnica via procedatur ab antecedenti-

bus omnino & abſolute clarioribus & notioribus,ad conſequentia obſcura & incognita declarandum & illuſtrandum.Itaque quanuis in omnibus artibus omnes regulas generales & vniuerſales eſſe fateatur, tamen cum earum gradus diſtinguantur,præcipit vt quanto vnaquæque generalior erit,tanto magis præponatur.Et ita generaliſsima primo loco &ordine ſtatuatur,quia lumine & notitia prima eſt,ſubalternæ ſubſtituantur,quia claritate ſunt proximæ,tandemque ſpecialiſsimæ conſtituantur.Indeque definitionem totius artis præcedere vult quia generaliſsima,cum & natura prima ſit & clariſsima & omnes artis partes complexa diſtributioně ſequi, quæ ſi multiplex fuerit antecedere partitionem in partes integras, conſequi diuiſionem in ſpecies.Parteſque ipſas ac ſpecies eodem ordine rurſus tractãdas eſſe quo diſtributæ fuerint.Hanc autem methodum Analyticam perpetuo eſſe aſſerit, quod ſemper generale in ſpecialia reſoluat.Hæc tua de vnica artis ordinandæ methodo ſententia eſt P.Rame.R A.Eſt profecto Philalethes. P H I L. Iam Carpentarij ſententiam proponam.Carpentarius cum nonnullis vetuſtioribus duplicem in tradendis artibus methodum conſtituit Geneſin & Analyſin, Geneſimque collocandis artibus accommodatam (quam alio nomine Syntheſin vocat)aſcenſum eſſe vult quo aſceditur aut a ſimplicibus ad compoſita,a partibus ad totum integrum,omninoque a primis artis elementis ad illa quæ in arte ſumma ſunt:aut a medijs ad finem.Analyſin vero quam & Diæreſin nominat deſcěſum eſſe cenſet,eumque duplicem eſſe vnum a fine ad media,alterum a generalibus ad ſpecialia.Ac illam quidem duplicem methodum in eiuſdě artis perpetuitate adhiberi vult quando id quod ipſi arti ſubijcitur,cum diuerſis comparatum,totum eſt & integrum quod ex quibuſdam quaſi membris componitur,& vniuerſum quod naturæ ſuæ ambitu ſpecies plures complectitur qualem exempli cauſſa in Logica ratiocinationě eſſe dicit,& in Phyſica corpus naturale.Quoniam integri ſubiecti ex membris compoſitionem apte explicari putat per eam Geneſin quæ a partibus ad totum integrum aſcendit:Vniuerſi vero ſubiecti in ſingulas ſpecies diſtributionem per eam Analyſin quæ a generalibus ad ſpecialia deſcendit.Exiſtimatque aliquando in tradendis artibus,præſertimque in artium compendijs eam Analyſin quæ a fine ad media ad illum deſtinata progreditur,Geneſin antecedere debere: cum videlicet ad artes explicandas hominum ſtudia excitare volumus,tumque ab artium tradendarum definitione incipiendum eſſe neceſſario aſſerit. Quia finis primo loco ponědus aliqua definitione cõprehendendus & concludědus ſit,vt his artibus ita primum Analytice conſtitutis, a primis deinde earundem elementis ad id quod maximum eſt , per Geneſin aſcendamus.Alias ab artium explicandarum definitione neceſſario incipiendũ eſſe negat.Imo vero aliquando tutius eſſe rudes primum a primis ele-

mentis

mentis ad id quod ſummũ eſt, per Geneſin quaſi manu ducere, ac cum ad principem ſummamque artis partem ventum ſit, tum eius naturam definitione aliqua complecti, quod verendum ſit ne artis magnitudine, quam definitio breuiter ſolet comprehendere ſtatim initio propoſita, ipſi rudes omnino deterreantur potius quam excitentur, ac deſperatione debilitati, id in ea experiri nolint quod ſe aſſequi poſſe diffidant. Monetque præterea in perſequendis ſingulis Analyſeos finis, vel Geneſeos gradibus, ſi quid in illis occurrat quod generale ſit & ſuapte natura commune multis, id ſemper eſſe explicandum ea Analyſi quæ a generalibus ad ſpecialia deſcendit. Quoniam vt ait Ariſt. cap. I. lib. I. de part. animal. magnum in docendo vitium eſt, ſæpius idem dicere: hoc vero effugere nemo poteſt, niſi hac methodo a maxime communibus ad ea quæ in ſpecialibus ima ſunt per intermedia proficiſcatur. Hæc tua de duplici artis ordinandæ methodo ſententia eſt Carpentari. CAR. Rectiſsime Philalethes meam de duplici artis ordinandæ methodo intelligentiam excuſsiſti & explicaſti. PHIL. Atqui tua duplex methodus, & vnica P. Rami methodus, reipſa eadem eſt, verbis modo diuerſa. CAR. Quomodo id fieri poteſt? PHIL. Percipies cum P. Rami de vnica methodo ſua intelligentiam tibi expoſuero. P. Ramus vult in arte qualibet tradenda, eius definitionem primo loco ſtatui: Tu etiam ab artis eius quæ tua finis Analyſi & Geneſi explicanda eſt definitione neceſſario incipiendum eſſe fateris. Hac de re igitur inter vos conuenit. Atqui inquies, nego ſemper incipiendum eſſe a definitione, quia in artibus ſola Geneſi explicandis, nulla antegreſſa totius artis definitione, a primis artis elementis incipiendũ eſt, indeque ad id quod habet ſummum aſcendendum At inquam neque P. Ramus ſemper a definitione incipit. In Grammatica enim Græca deſcribenda definitionem prætermiſit. Sed tamen longe alia ratio eſt cur definitionem prætermittat, atque ea quam tu aſsignas. Ille enim ibi prudens Grammaticæ definitionem præterijt quod omnibus Grammaticam Græcam diſcentibus iam notam eſſe exiſtimaret, cum omnes nunc ſtudioſi a ſermone Latino incipiant, ac in Grammatica Latina Grammaticæ definitionem cognouerint. Tu autem relinquendam definitionem cenſes, ne ea initio artis poſita rudes deterreat, & deſperatione debilitet. Sed pergamus. Tibi Analyſis in artibus tradendis duplex eſt, altera a fine ad media, altera a generalibus ad ſpecialia. P. Ramo vtraque vnica tantum eſt. Quoniam qui a fine initio artis vt tu vis per definitionem poſito ad media progreditur, is a generalibus ad ſpecialia progreditur, cum finis eiuſmodi generaliſsimus ſit, & media ſpecialia. Id enim ipſe antea ſignificauit, cum tibi ad hoc reſpondit: *A fine ſummo, per media, ad ima, & a generalibus ad ſpecialia, duo repugnantia progreſsionis & collocationis genera indicas. Quid iam eſt reliquum, quod non indices & niuem atram, & Æthiopem album? ignem*

frigidum & glaciem calidam? Ergo tua & P.Rami Analyſis re eadem eſt. Perſequamur. Geneſis ſiue Syntheſis tua ad artes collocandas affecta, quæ a partibus ad totum,& a primis elementis ad id quod in arte maximũ eſt progreditur:eſt P.Ramo Analyſis. Ergo Synthetica tua, & Analytica P.Rami re vna & eadem methodus eſt, ſed nomine omnino diuerſa. Ea enim a te vocatur Geneſis vel Syntheſis quod a ſimplicibus aſcendat ad compoſita:Ex hiſque ſimplicibus partibus, totũ integrum componatur. At P.Ramo Analyſis dicitur quod a generalibus ad ſpecialia deſcendat. Propterea quod hæc a cauſis ad effecta progrediatur, cum principia & ſimplicia elementa cauſæ ſint eorum quæ ex his oriuntur. Parteſque item cauſæ ſint totius eſſentiam conſtituentes. Et ideo a generalibus ad ſpecialia procedat,cum generalia cauſarum,& ſpecialia effectorum ſymbola ſint. Præterea generalia illi dicuntur quæ vt Ariſtoteli placet cap.1.lib.1.de part.animal.communia multis ſunt. Ea vero ſimplicia artis elementa omnium communiſsima ſunt,quod conſequẽtibus omnibus conueniant. Id enim P.Ramum velle facile eſt ex multis doctrinæ ſuæ locis,tum vero maxime ex ſuis ad tuam interrogationem de Phyſicæ tradendæ methodo reſponſis intelligere. Cum enim antea ab illo rogabas ſi Phyſicam deſcribere vellet,num in ea corporis naturalis compoſitionem ex materia & forma primum traderet: Deinde a generali huius ratione ad ſpecies vltimas per intermedias deſcenderet, quoniam hoc illi placere ex ſuis ſcriptis cõijceres,Idque ſi feceritquæreres eademne omnino methodus eſſe poſsit a materia & forma ad corpus naturale aſcendere,& a corpore naturali ad eiuſdem ſpecies deſcẽdere:quoniam tu in poſteriore Analyſeos ſpeciem vnam animaduerteres:in priore qualem eam comminiſci poſsit prorſus non videres, Hoc reſponſum tibi dedit: *Interrogas me quanam methodo Phyſicam ſim expoſiturus: arbitrariſque me in ea exponenda, a materia & forma ad phyſicum corpus iturum eſſe, quæ tibi eſt Geneſis: deinde diſtributurum in ſpecies, quæ tibi Analyſis. Ita tuo iudicio noſtra Phyſica duas methodos habebit Geneſin & Analyſin. Atqui ſi a nobis precarium exemplum concederetur, tamen nihil eſſet contra quæſtionem, ſi corpus Phyſicum initio (vt hæc methodus exigit) definitum diſtribueretur primum in materiam & formam, quales in omnibus artibus innumerabiles partitiones ſunt integrorum in partes: Deinde diuideretur in ſpecies. Eſſet enim progreſsio totius artis nihilominus a generalibus & communibus ad ſpecialia. Corporis enim Phyſici definitio generalior eſſet: & in eodem ipſo loco diſtributio in partes ordinem nihil mutaret, non magis quam ſi diceres, præpoſita definitione ante definitionem Analyſin mutari. Forma enim artis ex totius corporis habitu ſpectanda eſt, non ex vnguiculo aliquo definienda.* Hæc ſua reſponſa ſunt. Scio te miraturum P.Ramum hæc omnia Analyſi quam vnicam affirmat complecti. Teque ex illo quæſiturum quo authore tam varijs ordinibus, Analyſeos nomen accommodet,cum aliorum Philoſophorum loquen-

di conſuetudo tum præſertim cum de nominibus quæritur, negligenda non ſit:aut ſi hoc ſine alterius exemplo licere arbitratur, cur ſaltem quando intelligere videris quam ſit multiplex apud illum huius ratio, tibi non concedit,vt diſtinctè loquaris.At de veſtra verborum diſcrepantia aliorum ſit iudicium.Ego quidem id vnum contendo illam tuã artis ordinandæ duplicem methodum,ac P.Rami vnicam & ſingularem methodum,eandem reipſa methodum eſſe.Idque tuipſe animaduertiſſe mihi videris,cum hæc antea contra P.Ramum diſputans dixeris:*Vides quid ex tua ſententia efficiatur:methodum ſcilicet Analyticam omnino eſſe vnicam,in qua a generalibus ad ſpecialia ſemper deſcendamus:in illa tamen nonnũquam nos progredi a ſimplicibus ad confuſa:alias vero contra, a confuſis ad enodata,quæ eadem in naturæ ambitu ſunt ſimpliciora.Id autem quid eſt aliud quã hoc nomine abutendo,vno genere velle complecti ea quæ veteres in duas ſpecies diſtributa,ſuis etiam nominibus diſtinxerũt,vnumque Compoſitionis,alterum Analyſeos eſſe dixerunt.* Ergo ipſe fateris methodum artis collocandæ quam P.Ramus vnicam eſſe vult, illam omnino eſſe quam tu duplicem cum veteribus facis.Addis præterea in perſequendis ſingulis gradibus Analyſeos a fine,vel Geneſeos,ſi quid in illis occurrat quod generale ſit & ſuapte natura commune multis,id ſemper eſſe explicandum ea Analyſi quæ a generalibus ad ſpecialia deſcendit , ad vitandam Tautologiam magnopere in docendo vitioſam.Ex quibus quidem verbis tuis P. Ramus te etiam ad confitendum vrget vnicam eſſe ſecum artis collocandæ methodum quæ a generalibus ad ſpecialia ſemper progreditur,quia ex Ariſtot.probat in qualibet arte explicanda generalia & multis communia perpetuo occurrere,quod ſit artis vniuerſæ materia pene tanquam Categoria vnica quæ complectatur γενικώτατον, ὑπάλληλα, ἰδικώτατα. ſicque ex tua confeſsione & Ariſtotelis authoritate concludit : *Quoties generalia occurrent in arte & ſuapte natura communia,ſemper a generalibus ad ſpecialia progrediendum eſt,vt ipſe fateris: At Ariſtoteles ait in arte perpetuum id eſſe:omnia generali aliquo & communi comprehendi.Quare in omni arte ſemper a generalibus ad ſpecialia deſcendendum eſſe fatearis neceſſe eſt.*Sed inquies,ad hoc argumentum reſpondi.Quid inquam Carpentari ad hoc reſpondiſti?Nihil aliud ſane niſi te nunquam omnino negaſſe in docendi methodo vllum eſſe deſcenſum a genere ad ſpecies imas per intermedias, nunquam de illo deſcenſu dubitaſſe,nunquam de eo illi eripiendo cogitaſſe:teque hunc & in docendo & ſcribendo quoad potueris ſeruaſſe.Aliudque inter vos eſſe controuerſum,& hoc quidem non vnum & ſimplex ſed in aliquot capita diſtributum.1.te inueſtigandarum artium ſicut & inſtituendarum methodum aliquam eſſe velle,teque pernegare illam a ſe in Logica neque ſub inuentione,neque ſub diſpoſitione eſſe comprehenſam.2.licet concedas illi in omni doctrina inſtituenda progrediendum eſſe a natura prioribus,contendere tamen adhuc , non eo

effici methodum doctrinæ inſtituendæ omnino eſſe vnicam atque indiuiduam. 3. Cum Analyſis ſua ſit complexus progreſsionem a genere ad ſpeciem, a cauſa ad effectum, a fine ad media, a partibus ad totum, ſæpe ab eo quæſiſſe vt doceat quibus authoribus, Analyſeos nomine, iſta omnia complectatur. His reſponſis Carpentari P. Rami concluſio, quod in omni arte ordinanda a generalibus ad ſpecialia ſemper progrediendum ſit non eſt refutata. Quam tamen ſi concedis, vnicam etiam reipſa methodum eſſe cum P. Ramo neceſſario concedendum. Sed tu vtrumque concedere videris, atque ita tua de methodo cum P. Ramo contentio omnis in verbis cernitur. Nam ſi P. Rami methodus quæ ſemper a generalibus ad ſpecialia progreditur in quatuor progrediendi modos his vocabulis, a genere ad ſpecies, a cauſa ad effectum, a fine ad media, a partibus ad totum, diſtincta eſſet: Deinde ſi non Analytica vno nomine diceretur, ſed progreſsio a genere ad ſpecies, & a fine ad media Analyſis tantum vel Diæreſis appellaretur, & progreſsio a partibus ad totum Geneſis vel Syntheſis, tibi haud dubio probata eſſet. Ego igitur inde concludam te vnicam reipſa & eandem omnino artis ordinandæ methodum quæ a generalibus ad ſpecialia ſemper progrediatur, cum P. Ramo agnoſcere. Ac te ab illo tantum eo nomine diſsidere quod illam ſpecie & numero vnam & idcirco indiuiduam & indiſtinctam eſſe velit: Tu vero illam in quatuor vel plures progrediendi modos diuiduã, & diſtinctam eſſe, nec ideo ſpecie & numero vnam exiſtere contendas, & quod ille quadruplicem progreſsionis modum abſque authoribus vno Analyſeos nomine complectatur: Tu vero id licere ſine alterius exemplo non arbitreris. Id vero te ſentire non modo ex his tuis ad ſua reſponſa reſponſis commemoratis colligo, ſed ex alijs etiam locis compluribus diſputationis tuæ, ex eoque maxime vbi tu contra P. Ramum his verbis, a genere ad ſpecies, a cauſis ad effecta, a fine ad media, vnam ſemper & eandem methodum a generalibus ad ſpecialia ſignificaſſe, quia generalia ſunt cauſæ ſpecialium, affirmantem antea ſic diſputaſti: *Ergo methodum tuam omnino vnicam eſſe vis, qua a genere ad ſpecies gradatim deſcendas: ſub ea tamen contineri progreſsionem a cauſis ad res effectas: Quoniam cauſa cum rebus effectis comparata, ad has videtur eo modo ſe habere, quo genus ad ſuam ſpeciem. Hoc vero confirmas ex eo quod Ariſtoteles dicit, generalia ſpecialium eſſe cauſas, in quo quid agis Theſſale? aut quam in concludendo formam ſequeris? Non enim quia generalia ſpecialium cauſſæ ſunt, efficitur in docendi methodo deſcenſum a cauſa, debere ad eum reuocari qui eſt a genere ad ſpeciem: ſed contra potius tibi dicendum videbatur vnicam eſſe methodum doctrinæ inſtituendæ, eamque Analyticam a natura prioribus, vt a cauſis ad res effectas. hanc vero in ſe complecti progreſsionem a partibus ad totum (quoniam partes totius cauſæ ſunt) a fine ad media (ſiquidem certum eſt finem cum medijs comparatum vnius cauſæ eiuſdemque nobiliſsimæ rationem obtinere) & a genere ad ſpecies, quia ex*

Ariſtot. generalia ſpecialium ſunt cauſa. Quod ſi diceres tollerabile quidem eſſet, etſi non omnino verum. hoc enim tibi adhuc eſſet explicandum, cur in hac poſteriore Dialecticæ parte progreſsionem a genere non diſtinguas ab ea quæ fit a cauſa ad res effectas: cum in priore quæ eſt de inueniendo, locum a genere omnino diuerſum eſſe velis, ab eo qui cauſam continet. Quid enim? An in inueniendo minus quam in iudicando, verum eſſe putaſti illud Ariſt. generalia ſpecialium eſſe cauſas? aut ipſa methodi præcepta minus quam inueniendi, exactam partium diſtinctionem poſtulare videbantur?

Quis non mecum colliget ex hoc loco Carpentari, non alia de cauſa tibi improbatam P. Rami methodum eſſe quæ ſemper a generalibus ad ſpecialia progreditur, quam quod ſinguli progreſsionis modi quos illa in ſe complectitur nominibus diſtincti non ſunt? Quis non mecum iudicabit tuam cum P. Ramo de methodo controuerſiam e verbis tantum creari? Quis non mecum affirmabit tuum teſtimonium cogere te vt de artis ordinandæ methodo P. Ramo reipſa aſſentiri fatearis? Neque vero illi immerito aſſentiri videris. Tu enim veterum de methodo ſententiæ vis adhæreſcere: Ille vero artis ordinandæ methodum quam ſequitur non a ſe inuentam, non ex ſuo ſenſu depromptam eſſe oſtentat, ſed eandem revera doctrinæ methodum laudare & amplecti, in ſuis Dialecticis inſtitutionibus & animaduerſionibus profitetur, quam Hippocrates, Plato, Ariſt. ſequuti ſunt. Illamque vnā rectam eſſe horum ſummorum Philoſophorum teſtimonijs probat & confirmat. Et ita ſuam methodum horum præſtantiſsimorum authorum præceptis & exemplis celebratam & ſtabilitam eſſe contendit. Quid vero P. Rame? nonne iam vides veſtram omnem de methodo altercationem in verbis, non in ipſa re eſſe ſitam? Age igitur vt te omnino Carpentario conciliem, recognoſce iam quæ tu lib. 19. animaduerſ. Ariſtotelic. anno 1548 editarū ſcripſiſti: *Quoniam Ariſtotelei (ais) Analyſeos Geneſeoſque vocabulis & partium ſectionem & totius compoſitionem ſignificari volunt, facile ſi attenti eſſe voluerint, iudicabunt vera illa quam ſequimur methodo vtrumque fieri: nam & definiendo rem totam componimus, & diſtribuendo partes explicamus.* Et paulo poſt: *Cum Ariſtotelei in vera etiam methodo Geneſin definiendo, Analyſin partiendo vſurpent, ad ἀπόδειξιν noſtram eos reuocemus.* Hæc tua verba ſunt P. Rame, quibus ipſe agnoſcis & confiteris Ariſtotelicorum Analyſin & Geneſin in tua methodo Analytica comprehendi. Ergo reipſa non differs a I. Carpentario Ariſtotelico, cum duplicem illam methodum in eiuſdem artis perpetuitate adhiberi & coniungi velit. Quid? Iacobus Carpentarius tuam ſingularem methodum Analyticam quæ a generalibus ad ſpecialia ſemper procedit, probat illamque fatetur reipſa eſſe quam ipſe duplicem in Analyſi & Geneſi ſtatuit: Tu vero duplicē Carpentarij methodum amplecteris, illamque omnino eſſe quam tu vnicā & ſingularem eſſe contendis nomine Analyſeos complexam. Quamob-

rem ipſe etiam fatearis neceſſe eſt nullam reuera de artis ordinandæ methodo inter vos eſſe diſsidẽtiam,cum præſertim velis in animaduerſ. tuis ne de verbis curioſe ſolliciti ſimus,vt veriſsime iubet Plato, vt ſæpiſsime Galenus admonet,rem potius teneamus.

Age igitur nunc vt quod contendo vobis ratum & firmum ſit,omnium artium liberalium exemplis vos vnam & eandem methodum in ſingulis explicandis ſequi,oſtendam.Incipiam a Grammatica. Tu Carpentari in ea recte explicanda cenſes primum tradendum eſſe de literis, dein de ſyllabis,tum de dictionibus, poſtremo de ſingularum orationis partiũ coniungendarum ratione.Sic enim te puerum Grammaticam didiciſſe, ſic docendam eſſe antea commemoraſti.Eamque methodum Syntheticam eſſe vis,quia a ſimplicisſimis elementis ad compoſita progreditur. Ramus vero eam methodum laudat, vehementiſsimeque comprobat, quia ab antecedentibus omnino & abſolute clarioribus & notioribus ad conſequentia obſcura & ignota declarandum & illuſtrandum progreditur.Eam non Syntheticam ſed Analyticam eſſe cenſet, quia a natura prioribus ad natura poſteriora procedit, & ideo a generalibus ad ſpecialia.Eam tamen non ſatis accuratam eſſe arbitratur,quod omnium Grammaticæ præceptorum generaliſsimum,& naturà primum ibi prætermittatur,nempe Grammaticæ definitio, primoque claritate proximum non conſequatur,nempe Grammaticæ partitio.Quare illam eandem in Grammatica exponenda methodum amplectitur,ſed multo accuratius.Imprimis enim Grammaticam definit artem bene loquendi: deinde illam in duas partes diſtribuit, in Etymologiam & Syntaxim. Etymologiæ dictionum explicationem ſubijcit.Definita generatim dictione de eius partibus agit,Ac primum de literis,dein de ſyllabis: poſtea dictionis ſpecies ſingulas in nominibus,verbis,& cæteris perſequitur.Tum ad ſyntaxim tranſit in qua dictionum coniungendarum rationem docet,eamque in conuenientiam & rectionem diuidit,Ac vtrãque partem ordine tandem perſequitur.

Ad Dialecticam iam venio,in qua tractãda ego vos etiam vnam & eandem ambo ſequi methodum aſſero, etſi id quod de Dialectica a vobis tractatur & præcipitur,omnino idem non eſt. Eandem inquam vos in arte Dialectica diſpoſitionis formam ſeruare dico, quanuis artis ipſius materia vobis prorſus eadem non ſit.Tu enim Carpentari in tuo Dialecticæ compendio in quo omnia quæ in perfecta & abſoluta Dialectica tibi præcipienda eſſe viſa ſunt adumbrare voluiſti,(quia id neceſſario in omnibus artium compendijs requiritur vt omnia pręcipua capita,ſummamque totius doctrinæ breuiter complectantur)imprimis Dialecticã definis.Ac antea etiam quotieſcunque ad artem tradendam hominum ſtudia excitare volumus,ab eius definitione incipiendum eſſe præcepiſti.Poſita definitione artis finem continente ad prima elementa deſcen-

dis,vt eum Analyticum ordinem ſerues qui a fine ad media ad illum deſtinata procedit.Dein per tuā Syntheſin a primis elementis ad ea aſcendis quæ in re ſunt ſumma.Nā ſimplicibus vocibus Porphirianis deſcriptis,adiunctiſque nonnullis ad ſimplicem quæſtionem tractandam pertinentibus,de definiendi diuidendique modo præceptis,Categorijſque Ariſtotelicis quæ magnum etiam ad definiendum & diuidendum adferre adiumētum cenſes explicatis,ad pronunciata,ab his ad argumentationē gradatim aſcendis.Tum in argumentationis explicatione Analytice a generalibus ad ſpecialia procedis.Nam in ratiocinatione perfectiſsimam & integerrimam argumentationis formam prius explicas,reliquas poſtea percurris Enthymema,inductionem,exemplum, coaceruationem,ratiocinationemque primo generatim definis & exponis,ſecundo eam in tres formas ſeu figuras ex triplici diſpoſitionis cum quæſtione forma ſumptas diſtribuis, ſingulaſque figuras definis,& in certos modos diuidis,& ſingulos modos exemplis illuſtras.Tertio ratiocinationem in tres formas a pronunciatorum differentia ductas diſtribuis in ratiocinationem Dialecticam,demonſtratiuam, & ſophiſticam: ſingulaſque eodem ordine perſequeris & explicas.

Ramus vero hanc quam tu in illa compendiaria Dialecticæ deſcriptione methodum ſeruas probat,eandem in ſua exponenda Logica accuratiſsime quidem ſequitur,ſed tu illam multiplicem eſſe cenſes, ille vnicam & ſingularem eſſe aſſerit,quod ſemper a generalibus ad ſpecialia progrediatur.Ramus enim initio Dialecticam definit, non aliter atque tuipſe definis. Illam definitam in inuentionem & diſpoſitionem partitur.Inuentionique ſubijcit argumentorum locos. Eorumque alia artificialia,alia inartificialia eſſe vult,artificialium vero alia prima eſſe, vt cauſas & effecta,ſubiecta & adiuncta,oppoſita & comparata: alia de primis orta vt nomen,diſtributionem,definitionem.In quo (quod ad methodum attinet) tecum conuenit Carpentari, quia Dialecticam & definiendo, & in principes partes, harumque elementa diſſoluendo Analyſin ſeruat eandem quam ipſe in tuo compendio Dialecticæ ſeruaſti.Quanuis illam quæ a definitione artis finem continente ad prima elementa ſimpliciſsimaſque partes quæ vt finis media ſunt, deſcendit, diuerſam ab ea quæ a generalibus ad ſpecialia progreditur eſſe putes, ille vero minime.Deinde a principijs ad ea aſcendit quæ de principijs conſequentia ſunt.Nam cauſis,effectis, ſubiectis, adiunctis, oppoſitis, comparatis, exactiſsime explicatis, ad eorum quæ de primis orta ſunt argumentorum locos tranſit, nomen, diſtributionem, definitionem. Hiſque inartificialis argumenti locum ſubſtituit.Explicata inuentione, diſpoſitionem Logicam eadem omnino methodo exequitur. Cū enim triplicem eius ſpeciem propoſuit enunciatum,ſyllogiſmum & methodum,ab enunciato quod & ſimplicius & prius eſt, quia in eo vnum ar-

gumentum cum altero collocari putat, ad ſyllogiſmum qui ex enunciatis conſtituitur, indeque ad methodum quæ multa enunciata ac ſyllogiſmos plærunque complures complectitur, pergit. Ergo Carpentari P. Ramus a primis quæ ipſe in ſua Logica conſtituit elementis ad ea quæ ſumma in arte ipſa eſſe vult eadem prorſus methodo progreditur, qua tu ab ijs quæ in tua Dialectica ſtatuis elementis ſimpliciſsimis ad ea quæ maxima tibi videntur procedis. Sed hanc tu Syntheſin vocas, vel Geneſin, quia a ſimplicibus ad compoſita aſcendit: ille vero Analyſin vocat quia a cauſis ad effecta, indeque a generalibus ad ſpecialia deſcendit. Tum in explicandis pluribus inuentionis locis, ſinguliſque diſpoſitionis Dialecticæ formis Analytice a generalibus ad ſpecialia progreditur, quia vbique ea omnia quæ diuidi poſſunt, in partes vel ſpecies diſtribuit, ſingulaſque partes vel ſpecies ad imas vſque perſequitur. In quo tecum omnino conuenit, qui & in explicanda ratiocinatione & alijs locis nonnullis eam methodum ſequeris. Quare iam concludo Carpentari te eandem reipſa methodum quam P. Ramus in ſua tradenda Dialectica ſeruat, in tua deſcribenda compendioſa Dialecticæ ſeruare. Tuam hîc de diſtinctione Logici organi apud Ariſtot. & eius interpretes miſſam facio ſententiam. Tu enim vt ex diſputatione tua & ſcriptis tuis perſpicio Analyticā & Topicam duas artes in organo Logico ab Ariſt. omnino diſtinctas opinaris. Tibique Analytica a Topicis in *ſcriptis atq;* ſermonibus Philoſophorum præceptis & vſu, ex *Ariſtotelis* mente non minus videntur diſtincta: quam in ratione loquēdi atque dicendi Rhethorica a Grammatica. Quod vt in hac orationis forma inſtruitur minus elaborata & quaſi ſua ſponte fuſa, in illa ornatior & ſæpe verſa atque mutata: ſic ars Topica apud Ariſt. ſimpliciorem rationis vſum explicet, Analytica exactiorem. In eoque ab interpretibus Ariſt. diſſentis, quia Topica & Analytica cum Categorijs & lib. de interpretatione ad vnius artis formam (quam Logicam vel Dialecticam nominant) reuocare conantur. Sed de hac in diſtinguēdo Logico Ariſtotelis organo ſententia iam non diſputo, ſed de methodo tibi probata & obſeruata in Dialectica ex tua ſententia tuoque iudicio deſcribēda. Illamque vnam & eandem eſſe dico quam P. Ramus in ſua Logica ſequitur. Idque tuo etiam teſtimonio confirmo. Tu enim autea contra P. Ramum diſputans in eadem arte methodum variari poſſe, ſic dixiſti: *Quam duplicis ordinis coniunctionem nos in artis differendi compendio, non infœliciter ſeruaſſe videmur, & ſi tua conſideraris paulo attentius, eandem in tuis Dialecticis es ſequutus.*

Eandem arbitror Carpentari methodum etiam ſeruares ſi Rhetoricam expoſiturus eſſes, quam Ramus & Talæus ſeruant in Rhetorica exponenda. Rhetoricam enim imprimis definiunt, deinde in ſuas partes diſtribuunt. Tu hoc ordine procul dubio procederes, quia omnes fere Rhetores vetuſtiores ſic procedunt. Sed fortaſſe quinque Rhetoricæ

partes

partes cum veteribus conſtitueres, inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, & pronunciationem. Illi autem duas tãtum elocutionem, & pronunciationem quia inuentionem, diſpoſitionem diſpoſitioniſque comitem memoriam ad Dialecticam referunt. In ijs vero explicandis Rhetoricæ partibus quas conſtituunt, eandem ſequereris methodum quam ſequuntur. Nam illas primum definiunt, deinde rurſus in partes & ſpecies ſingulas diſtribuũt, in quo Analyticam methodũ ſeruant quam laudas & amplecteris. Præterea a primis elementis ad ea quæ ſumma ſunt procedunt. In quo tuam Syntheticam methodum (quam tamen Analyticã perpetuo vocant) ſequuntur. Elocutionis enim ſpecies faciunt tropos & ſchemata. Tropis autẽ ſingulis prius, quia ſimplicisſimi & natura primi ſunt, explicatis, ad ſchemata tranſeunt, & cum eorum duo genera ſint, vnum λέξεως alterum διανοίας: de priore illo genere, quod & ſimplicius & natura prius eſt, prius diſputant, tum ad figuram διανοίας accedunt, Eiuſque genera plura etiam diſtinguunt, quæ ſingula eo ordine exequũtur quo propoſita ſunt. Idemque in pronunciatione faciunt.

Eodem quoque ordine, Carpẽtari ſi Mathematica deſcripturus eſſes procederes quo P. Ramus procedit, ab ijs nẽpe quæ ſine conſequentibus commode doceri poſſunt & inſtitui, conſequentia vero ſine illis non poſſunt. Quia omnes Mathematici ſic progrediũtur, nec quẽ aliter Mathemata docere poſſent. Nam & in Arithmetica & in Geometria ex antecedẽtibus theorematis conſequentia demonſtrantur. Quare ſi non ab antecedentibus omnino & abſolute clarioribus & notioribus ad cõſequentia obſcura & incognita declarandum & illuſtrandũ procederetur, rudes ipſarum artium diſcipuli in tenebris perpetuo verſarentur.

Sed iam ad Phyſica tranſeo, in quibus etiam tradendis vnam & eandem omnino methodum vos amplecti dico. Tu enim Carpentari vt ex tua diſputatione percipio, a materia & forma ad totius corporis Phyſici compoſitionem per Syntheſin aſcendendum eſſe cenſes: deinde a corpore naturali ad eiuſdem ſpecies per Analyſin deſcendendum. Sicque omnino progrederis in tua vniuerſæ naturæ ex Ariſt. deſcriptione. Nã lib. 1. de his principijs materia & forma cum priuatione, deque corporis naturalis affectionibus agis. Deinde cum corpus naturale duplex ſit, ſimplex & mixtum, primum genus in cælo; igne, aëre, aqua, & terra lib. 2. explicas. Cumque corpus mixtum duplex item ſit imperfectum quod in Meteoris cernitur, & perfectũ quod in Animatis corporibus, de Meteoris lib. 3. De Anima vero lib. 4. tractas. P. Ramus hanc methodum in Ariſt. Phyſicis laudat, & probat, ſed Analyticam ſemper eſſe vult, non Syntheticam. Sic enim lib. 9. ſuarum animaduerſ. inquit: *Quid ſit in totis Ariſtotelis Phyſicis? octo primis libris natura definitur, diuiditur in materiã formamque, materia declaratur, forma & eius in omni genere motus facultas expli-*

catur. Sex proximis libris, naturæ genera diuidũtur, ſimplex in cælo & elementis, compoſita ex his permiſtis efficitur, cuiuſque deinde ſpecies in meteoris, in animatis rebus exponuntur. Quid ergo? An non eſt generaliſſimum primo loco? An nõ ſunt ſubalterna ſecundo? An non denique ſpecialiſſima poſtremo? Ergo vera hæc methodus in Phyſicis ſeruatur. Et a cauſis ad effecta, a generalibus ad ſpecialia, ab vniuerſalibus ad ſingularia, a ſimplicibus ad compoſita proceditur, non contra. Hæc ille. Et antea etiam tibi reſpondit Phyſica hac Analytica methodo ſemper explicari, ſi corpus Phyſicum initio definitum vt hæc methodus exigit diſtribueretur primum in materiam & formam quales in omnibus artibus innumerabiles partitiones ſunt integrorum in partes: deinde diuideretur in ſpecies. Quia eſſet progreſsio totius artis nihilominus a generalibus & cõmunibus ad ſpecialia, cum corporis Phyſici definitio generalior eſſet, & in eodem ipſo loco diſtributio in partes ordinem nihil mutaret. Sed tamen ſi quando ex ſua ſententia Phyſica deſcriberet, quia nihil in arte conſtituendum eſſe cenſet niſi καθ' ἀυτὸ vt Ariſtoteles in Logica præcipit, ideo non cauſæ cuiuſquam mẽtionem potius in arte Phyſica, quam generis & ſpeciei, quam ſyllogiſmi, vel methodi, quam cuiuſquam denique Logici præcepti ſe facturum eſſe, ſed quæ Phyſicæ propria ſunt in Phyſica collocaturum eſſe dixit.

Superſunt Ethica quæ vos procul dubio vna & eadem methodo explicanda eſſe ambo exiſtimatis. Tu enim Carpentari eam probas omnino quam Ariſtoteles in eis ſeruat. Ariſtoteles autem lib. 1. *beatitudinem* Ethicæ diſciplinæ finem exponit, beatitudinemque definit animi actionem virtuti conſentaneam. Cæteris nouem libris virtutes ceu media quibus finem propoſitum conſequimur explicat. Initio enim lib. 2. duo virtutum genera ſtatuit vnum earum quæ morales, alterum earum quæ in ratione eſſe dicuntur. Vnde duplex etiam beatitudo exiſtit, vna in actione virtutum moralium, altera in actione virtutum rationis id eſt in contemplatione poſita. Primum autem virtutis genus tractat ſecundo, tertio, quarto, & quinto libro, alterum ſexto. Illudque ſuperius ſic tractat, vt primum ea omnia quæ communia ſunt omnium virtutum perſequatur, deinde ea quæ propria ſunt ſingularum. In ſeptimo, octauo, nono, decimo, de ijs diſſerit quæ cum virtute quandam habent affinitatem & coniunctionem. Ad extremum vero iterum de beatitudine diſſerit, vt extrema primis reſpondeant. Quoniam vt illud primum inueniendũ eſt quod nobis quaſi finem propoſuimus, & eo inuento rationes quibus ad id perueniri poſsit, exquirendæ ſunt, tum poſtremo id adipiſcẽdum: ſic Ariſtoteles cum in primo libro ſummum bonũ finem eſſe hominis inueniſſet, virtuteſque omnes quaſi gradus quoſdam per quos facilis aſcenſus ad illud pateret, animaduertiſſet, per eos omnes gradus cæteris libris conſcendens, tandem in eo tanquam adepto conquieſcit. Ramus vero hanc etiam methodum amplectitur, eamque Analyticam

eſſe contendit.Sic enim ſcribit lib.9.ſuarum animad.*Videamus quid agat Ariſt.in Ethicis, & quomodo Philoſophiam Ethicã deducat.Quid igitur? Quomodo progreditur?definitionem primo loco ſtatuit,beatitudinẽ definit,genera deinde diuidit,alteram in actione,alteram in contemplatione:Poſtremo generis vtriuſque ſpecies ſuo loco deinceps exponit. Ergo progreditur a cauſis ad effecta, a notioribus natura ad nobis notiora,progreditur deniq; a generalibus ad ſpecialia:quia generalia cauſæ ſunt ſpecialium,quia generalia ſpecialibus notiora ſunt, vt Analyticis poſter.cap.20.primi docetur.*Hæc ille Carpentari. At fortaſſe inquies Ariſt.a beatitudine ad virtutes primum deſcendit,Ergo Analytice a fine ad media progreditur, tum a virtutibus ad beatitudinem aſcendit, ergo illic Synthetice a medijs ad finem progreditur.Imo vero dicet ille, Ariſtoteles in totis Ethicis Analyticè a fine ad media,& ideo a generalibus ad ſpecialia deſcẽdit.Nam.1.Ethico, beatitudinem vt Ethicæ diſciplinæ finem proponit & definit,& vtriuſque beatitudinis comparandæ rationem in virtutibus moris,& rationis & ijs quæ virtutibus finitima ſunt explicat a lib.2.ad librum vſque decimum, in cuius fine perorat, (vt in omni methodica artium & diſciplinarum deſcriptione omnique de re qualibet longa diſputatione faciendum eſt)& concludit beatitudinem quæ in contẽplatione ponitur virtutibus mẽtis,& quæ in actione reliquis virtutibus congruere, illamque hac longe præſtantiorem eſſe:ad vtramque autem virtutibus perueniri: ac inde tandem hortatur homines ad virtutẽ comparandam & colendã,vt beatitudine fruantur.

Expectatiſne igitur vt concludam vos in omnibus artibus & diſciplinis liberalibus tradendis vnam & eandem methodum probare, eandemque reipſa ſequi?

Addam & vos artem Medicam(quoniam de ea in diſputatione veſtra mentio facta eſt)illa & eadem methodo quam in artibus omnibus liberalibus explicandis probatis a Galeno in arte parua explicatam eſſe revera ſentire,licet verbis multum diſsideatis. Sic enim tu P.Rame de hac Medicinæ methodo lib.9. animad.ſcribis:*Galenus in libro περὶ τῆς τέχνης ἰατρικῆς,dicit ſe ὁρικὴν methodum ſequuturum, & velut ab Ariſtotelica illa ſingulari, & vnica a generaliſsimo per ſubalterna ad ſpecialiſsima, methodo diuerſam. Quid igitur ſi Galenus hanc noſtram διαιρετικὴν καὶ ἀναλυτικὴν vt appellat,methodum in hoc etiam ipſo libro ſequatur, & a generaliſsimo per ſubalterna ad ſpecialiſsima progrediatur? Quid ſi etiam alibi dicat, ſecundum hanc διαιρετικὴν μέθοδον in huius operis exemplo ſe progredi?Quid pluribus Galeni præceptum(de multiplici methodo)refellendum ſit,cum ipſe ſuo facto, ſuo exemplo,ſuo teſtimonio,ſuo præcepto ſeipſum refellat?At progreditur,Medicamque artem definit initio ſalubrium,inſalubrium ,neutrorum ſcientiam,quod generaliſsimum eſt:deinde partitur trifariam in corpora,cauſas,ſigna:eaque ſubalterna paulatim deducit ad ſpecialiſsima. At in compendio ſectæ Empiricæ, dum Herophilum citat Medicæ artis ſic definitæ,ſic trifariam diuiſæ authorem,methodum*

διαιρετικὴν in hoc exemplo eſſe dicit. Tu vero Carpentari antea contra P. Ramum in eadem arte duplicis tuæ methodi Analyticæ & Syntheticæ coniunctionem ſeruari poſſe diſputans, dixiſti: *Et certe Galenus in arte medica, quæ parua id eſt compendiaria appellatur, idipſum quod diſputo ſequutus videtur in eo ordine quē definitionis eſſe ait. Quoniam hic non tam fortaſſe nouam methodi ſpeciem continet a duabus prioribus omnino diuerſam: quam duarum in vnam collectionem quandam compendiariam. Siquidem quod eo libro Medicinam primo loco definit artem ſalubrium, inſalubrium & neutrorum: deinde hæc tria quæ in definitione ſumpta ſunt, per varios gradus diuidit, donec ad ima quædam (non autem ſingula) ventum ſit: Hoc ad Analyſin tuo more dictam, haud dubie pertinet. Quoad autem in explicandis partibus, quas Analyſis parit, aſcendit a primis eiuſdem artis elementis, ad ea quæ in illa ſunt ſumma, vt ad morborum curationem, & valetudinis conſeruandæ rationem, id non amplius ad Analyſin, ſed ad Syntheſin potius videtur eſſe referendum. Et tamen hoc totum ordinis definitionis eſſe vult, non ſolum quod a definitione incipiat, ſicut es arbitratus, ſed potius quod in partibus omnibus quas illa ſiue Analyſis, ſiue Syntheſis parit breui definitione fere ſit contentus. In quibus explicandis, alijs de Medicina ſcriptis idem ſolet eſſe longe prolixior.* Sed vt ſæpius, Carpentari, ſupra tibi reſpondi, eam methodum quæ a primis elementis ad ea quæ in arte ſunt ſumma progreditur, (quam Syntheſin vocas) P. Ramus non minus Analyticam eſſe putat, quam illam quā dicis a primis per intermedia ad infima progredi, quod vtraque a cauſis ad effecta, omninoque a generalibus ad ſpecialia illi procedere videatur. Quare tibi de re ipſa cum P. Ramo conuenit, de nomine vero minime.

Idem de iuriſprudentia, omnibuſque omnino artibus ac doctrinis dicere poſſum, quas breuitati conſulens prudens prætermittam.

Ergo Carpentari in omnibus artibus ac diſciplinis tradendis illam vnam & eandem reipſa methodum ſequeris, quam P. Ramus ſequitur. Nec tu etiam P. Rame aliam revera methodum ſequeris, quam Carpētarius, quam omnes artium ſcriptores ſequuntur. Sed vt ingenue dicam quod ſentio in illis omnibus quas conſcripſiſti artibus diſponendis, illā methodum omnium qui vnquam ſcripſerunt accuratiſsime ſeruaſti quod generaliſsima primo loco, ſubalterna ſecundo, ſpeciaſiſsima vltimo a te in arte qualibet exactiſsime collocata ſint. Verumenimuero P. Rame nec protinus ſi quando vel definitio, vel quidpiam aliud præceptum in artibus ab alijs artium ſcriptoribus deſcriptis ſit prætermiſſum, ſequitur illos illam & eandem methodum non ſequutos eſſe: Nam vt antea dixiſti, *forma artis ex corporis totius, non ex vnguiculo aliquo definienda eſt.* Præterea ipſe lib. 9. tuarum animaduerſ. apertiſsime ſcribis: *Age igitur, naturę ordinem illum, ordinem Hippocratis, Platonis, Ariſtotelis, Galeni etiā ordinem ἀναλυτικὸν quoniam ſic appellare vult, ſequere: ex tota artis iam inuenta, ſed confuſa materia, generaliſsimum primo, ſubalterna medio, ſpecialiſsimum*

poſtremo ſtatue, non in vna aliqua arte ſed in omnibus omnino, in Grammatica, Rhetorica, Logica, Arithmetica, Geometria, Muſica, Aſtrologia, Phyſica, Ethica, & quauis omnino diſciplina, facillime eam diſces, facillime eam ad vſum deduces & finis eſt omnium ſcriptarum artium. Atque hoc modo artes illæ omnes (quatinus in parte aliqua fortaſſe nõ ſatis accurrate) tamen ſi ſummam ſpectes vniuerſam, collocatæ ſuis authoribus videntur & diſpoſitæ. Quod eſt in Grammatica, Rhetorica, Logica, Arithmetica, Geometria, & quauis omnino diſciplina primo loco poſitum, id eius diſciplinæ ſcriptori viſum eſt generaliſsimum, id eſt natura primum & notiſsimum, quod ſine conſequentibus commode doceri poſſet & inſtitui, conſequentia vero ſine eo non item poſſent. Alij appellant cauſam, alij elementum, alij principium, alij initium, alij ſimpliſsimum: Imo Ariſtoteles ipſe ſic appellat, qui generalia dicit, ſpecialibus ἀιτιώτερα, ἁπλούστερα, ἀρχοειδέστερα & hæc omnia in eodem ſtatuit, vt in Grammaticis diceret aliquis literam, vnde dictio & oratio, in Arithmeticis vnitatem, vnde numerus, in Geometricis punctum, vnde linea, ex qua ſuperficies, & tandem ex ſuperficie corpus oritur. Ac de verbis ne curioſe ſolliciti ſimus, vt veriſsime iubet Plato, vt ſæpiſsime Galenus admonet, rem potius teneamus. Omnibus artium ſcriptoribus Ariſtotelicam methodum placere dico: quodque in artibus primo loco ſtatuunt, id illis generaliſsimum videri confirmo, quia poſsit eius doctrina facile ſine conſequentibus accipi, conſequentium vero non item ſine præcedentis doctrina. Non dico, inquam omnes artifices id penitus aſſequi, neque nuſquam labi, ſed iſta via ſola & vnica velle progredi, & artis eam partem, quam cæteris primo loco præponant, illis generaliſsimam, naturaque primã & notiſsimam videri: quam medio ſubiungant, ſubalternam, quam infimo, ſpecialiſsimam. Fac (iterum dicam) in omnibus artibus periculum, experieris hanc methodum ſolam adhiberi, quæ a maximis & notiſsimis tum menti, tum ſenſui procedat, vt Hippocrates cenſuit: quæ ab vnitate per medium numerum ad infinitatem deſcendat, vt Socrates in Philebo docuit: quæ a primis & immediatis prænotionibus per ſubalternas ad ſpecialiſsimas perueniat, vt Ariſtoteli placuit: quæ etiam a notione finis incipiens, proxima quæque partiens ac collocans, ſecundo loco ſecunda, tertio tertia, quarto quarta, quinto quinta, ac deinceps ſimiliter in vltimis particulis acquieſcat, vt Galenus inſtituit, quæ enim ſic præcedent, erunt conſequentibus priora conſecutione, ordine, cauſa, ſimpliciter, & natura: erunt αἰτιώτερα, ἁπλούστερα, ἐπιστημονικώτερα, ἀρχοειδέστερα, vt ex Ariſtotele dictum eſt.

Hactenus igitur clariſsimis argumentis, a vobiſipſis ſumptis, & artium omnium liberalium inductione vos de ſingularum artium inſtituendarum methodo omnino idem reipſa ſentire, verbiſque modo diſſidere, demonſtraui, Nec amplius id quod ſemper contendi veriſsimum eſſe inficiari poſsitis. Etenim rationibus veſtris, veſtris teſtimonijs & exemplis, veſtris verbis ita vos vrſiſſe mihi videor, vt voſmetipſos iam vi demonſtrationis coactos fateri neceſſe ſit de methodo artis ordinandæ nullam inter vos rerum, ſed verborum tantummodo diſcrepantiam eſſe. Nec vllis rebus adduci poſſum vt id (antequam etiam ſit a me de-

monſtratum) vos latuiſſe credam, ſed potius exiſtimo quod occaſione neſcio qua vos ex induſtra omnino verbis veſtris diſſentire videri velitis de re cuius firma inter vos eſt conſenſio. Quanquam ego non dubito quin id mihi ſemper pernegaturi ſitis, ne ſi conceſſeritis, obij[illegible] vobis quiſpiã, cur ſtudioſos in contrarias ſententias diſtrahatis, ac o[illegible]um mentes & animos, vniuerſamque Academiam veſtra hac contentione de methodo perturbetis, cum verbis tantum, non rebus diſsideatis.

Quare vos moneo vt de artis ordinandæ methodo inuicem litigare, ac mutuo maledictis laceſſere deſinatis, hortorque de concilianda pace. Oro præterea atque obſecro ne vobis moleſtum ſit, ſi libere quod de quæſtione veſtra ſentiebam, mihique videbatur eſſe veriſsimum patefeci & illuſtraui, cum me præſertim certaminis veſtri iudicem ipſi conſtitueritis. Valete.

AD ACADEMIAM PARISIENSEM,
Io. Morelij Rh. Carmen.

Placauit geminos Reges Cyllenius olim
Vexantes armis ſe patriamque ſuam:
Hinc interpoſita furias iraſque duorum
Serpentum virga compoſuiſſe ferunt.
Quid verò (alma parés) Abrahamus præſtitit? hoc eſt,
Vt reor, humano ſtemmate maius opus.
Ex methodo (mirum) nox atra, chaoſque vetuſtum,
Iurgiaque in Regno nata fuêre tuo:
Sed nunc orta dies: nunc Carpentarius hoſti
Oſcula dat Ramo: cedit & ira Ducum.
Vt meruit, mater, ſic illum in ſceptra repones?
Huic inter Diuos quem dabis ipſa locum?

Reſpondet Io. Morel. nomine Academiæ.

Grande Sophos magnis clament tibi plauſibus almæ
Pierides: ſolum te mea turba colat.
Sis, Abrahame, meus Caducifer, & mea Pallas,
Sis & Apollo meus, numen & omne meum.

D. Antonio Deloënio, Ripemontano Propræſidi æquiſsimo, N. Abrahamus S.

*Q*Vemadmodum ratiocinandi facultatè homines belluis præſtant, (ingenue Deloeni) ſic methodi laude homines ipſi hominibus antecellunt. Eſt enim methodus ſingulare, vel cæleſte potius artiũ recte tractandarum organum, in quo clariſsime humani ingenij Diuinitas relucet, cum præſertim vnius methodi beneficio artes Deorum munere nobis conceſſas breuitate, & facilitate accuratas inſtitui cum vnius methodi luce ſi qua in diſciplinis confuſa aut obſcura ſint reſtitui & illuſtrari poſſe videatur. Verumenimuero vt vera methodi gloria maxima eſt, ſic perpauci ſunt qui illam conſequi poſsint, non ſolum quod illius methodi vſus & exercitatio longe omnium difficillima & operoſiſsima ſit, ſed etiam quod authores de eius doctrina & arte quæ certa & conſtans, nulliſque difficultatibus implicita eſſe debet, inter ſe omnes verbis diſsideant, cum reipſa certe non diſſentiant. Ex quo noſtra tempeſtate tantam inter duo Academiæ Pariſienſis lumina P. Ramum, & I. Carpentarium contentionem de artium inſtituẽdarum methodo excitatam vidimus, quantam maximam nunquam fuiſſe audiuimus. Quandiu enim vixerunt, tandiu de artium ordinandarũ methodo vehementer decertarunt, ſuiſque mutuis inuectiuis ſtudioſos etiam in certamen adduxerunt, vniuerſamque Academiam perturbarunt. Atque hæc tamen de methodo decertatio quamuis magna & acris fuerit magniſque contentiõs referta, quamuis inter magni & acris ingenij viros, Regioſque profeſſores quamuis in ampliſsima orbis terrarum Academia coram tot doctiſsimis viris creata ſit: in verbis, non in rebus omnis illa mihi viſa eſt eſſe poſita, cum non oſcitanter legiſſem ſæpius ac relegiſſem, & inter ſe diligentiſsime contuliſſem vtriuſque viri ſcripta. Quod ſimul atque perſpexi de pace inter illos authores concilianda cogitaui, ne diutius de hac quæſtione ſtudioſi rixarentur. Itaque placuit nobis Dialogum commentari, in quem de artium diſponendarum methodo primum vtriuſque ſententiam deinde amborum conſenſum includerem, illumque Academiæ Pariſienſi deuouere, ut intelligeret me omnes neruos ætatis induſtriaque meæ contendiſſe in ſedanda acerrima quæ illam ſæpiùs obtudit de methodo pugna, quæ inter duos alumnos ſuos illuſtriſsimos antea commiſſa eſt, & ſumma contentione pugnata. Quoniam autem Philoſophicas diſceptationes tibi mirificè animum exhilarare ſcio, (vir ornatiſsime) non mediocrem in hoc noſtro legendo Dialogo oblectationem te capturum eſſe ſperaui, cum præſertim quos de artium inſtituendarum methodo diſputantes induxi, ipſe olim apud Pariſiorum Academiam degẽs inter ſe decertare audieris. Ob eamque cauſam illum ad te mittendum eſſe duxi, vt quo poſſum officio, meam tibi & gratificandi & obſequendi voluntatem ſignificarem. Vt enim tua ſingularis beneuolentia ab eo tempore quo me in tuam familiaritatem atque amicitiam contulĩ, mihi nullo loco defuit: ita nullum ſtudij genus ad id quod iucundum tibi fore percipio præſtandum, mihi prætermittendum eſſe exiſtimaui. Quo igitur animi candore noſtram aliquando ad veram methodum exactam accepiſti Limologiã, eo nunc Methodologiam ad meam perpetuam in te fidem obſeruantiamque confirmandam, tibi miſſam accipies. Vale. Pariſijs, E noſtro Muſæo Launduneo. 10. Cal. Octob. 1586.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE